ERECHTHEUS ET THESEUS
APUD EURIPIDEM ET ATTHIDOGRAPHOS

ERECHTHEUS ET THESEUS
APUD
EURIPIDEM ET ATTHIDOGRAPHOS.

SPECIMEN LITTERARIUM INAUGURALE

QUOD

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

G. KALFF

LITT. HUM. DOCT., IN FACULT. LITT. ET PHILOS. PROF.

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS LITTERARUM ET PHILOSOPHIAE DECRETO

PRO GRADU DOCTORATUS

SUMMISQUE IN LITTERARUM CLASSICARUM DISCIPLINA
HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS FACULTATIS EXAMINI SUBMITTET

MAXIMILIANUS AUGUSTUS SCHWARTZ,

DOTOCOMENSIS,

DIE XIV MENSIS DECEMBRIS A. D. MCMXVII HORA III.

LUGDUNI-BATAVORUM
APUD S. C. VAN DOESBURGH.
MCMXVII.

UXORI.

CONSPECTUS

PRAEFATIO.

Quamquam scientiae mythologicae fundamentum solidum et aere perennius nondum jactum est et dogmata de ipsa mythorum origine, aliquamdiu superstitiose culta, mox impie deserta, alia alia deinceps excipiunt [1]), hoc tamen hodie apud omnes viros doctos in confesso est, cuiusvis quaestionis mythologicae principium atque legem primariam esse investigationem historicam accuratissimam omnium documentorum, quorum antiquitas copiam nobis facit.

Siquis in cultus vel ritus cuiusdam arcana recondita atque occulta penetrare vult, primum mythorum rudera — saepe per longam saeculorum seriem accumulata — quae ei iter ad sacrum adytum (*εἰς μυχὸν ἄντρου*) obstruunt, erunt removenda, seiungenda, distinguenda.

In qua fabularum disquisitione ante omnia ratio erit habenda temporum et locorum. Non unum habemus Eumolpum, non unum Apollinem: Eumolpus Thrax longe distat

1) Non minus quam septem vel octo eiusmodi dogmata collegit J. Toutain in libro suo pulcherrimo „Mythologie et Histoire des Religions antiques", p. 33 sqq., qui enumerationem suam optime sic concludit: „Chaque méthode nouvelle a fait avancer de quelques pas la science mythologique; elle est devenue stérile dès qu'elle a voulu s'ériger en système et exclure les autres méthodes."

ab Eumolpo Eleusinio, Apollo Delius vel Atticus non idem est atque Apollo Delphicus. Neque Apollinis Delphici cultus semper idem atque immotus remansit.

Omnia igitur documenta litteraria, archaeologica, epigraphica, quae antiquitas nobis tradidit et cotidie tradit, geographice et chronologice distribuenda sunt, ita ut tota mythologia dilabatur in monographias locales, quae singulae in quam remotissimam vetustatem perducendae sunt. Tum demum harum comparatio rationes et notiones universas, quae sub omnibus illis deorum heroumque cultibus diversis latent, illustrare poterit [1]).

Mythus enim semel natus, quamquam per longa saecula mutatur atque per terras volans partim augetur viresque adquirit eundo, partim imminuitur carpiturque tempore edaci, semper tamen vetus robur quoddam intactum retinet, quod si semel observatum saeculorum per seriem pressius intuemur, ut ad naturam eius et indolem intimam penetremus, ad cultum quendam veterem vel ad ipsam mythi originem pervenire fortasse nobis licebit.

Haec elementa vetera a recentioribus internoscere plerumque difficile, saepe ἀδύνατον erit. Multis enim mutationibus mythi obnoxii sunt, quae conspectum nostrum fugiunt; eas volo, quas ipsa mythorum mobilitas efficit, quippe qui per terras saepe vagantur et per populos et

> „hi narrata ferunt alio, mensuraque ficti
> crescit, et auditis aliquid novus adicit auctor."

At praeter has mutationes absconditas quae ex mythorum progressu sponte oriuntur, aliae sunt multae faciliores explicatu, quas homines consulto attulerunt, modo addentes

1) Vid. Toutain, l. l. p. 83: „La synthèse ne pourra être faite que plus tard par l'étude comparative des cultes locaux".

aliquid quod frustra quaerebant, modo aliquid tollentes quod displicebat. Etymologiam hic primas partes egisse et multa nomina non iam satis intellecta multosque ritus, quorum usus oblitteratus erat, passim mythos auxisse et novas fabulas creavisse, non est quod moneam.

Chronologiae causa quoque haud raro fabulas mutatas, novos heroas insertos esse, nemo ignorat.

Praeterea tota vivendi ratio hominumque mores et instituta sine dubio mythos inclinant atque in certam partem cogunt; gens bellicosa studiisque asperrima belli plurimos habet heroas martiales et mythologiam belli rumoribus strepentem; homines paci et agriculturae dediti imprimis colunt deos rusticos et heroas agrestes. Ut igitur vulgo mythologia quodammodo speciem vitae cotidianae prae se fert et hominum mores casusque adumbrat, ita citum subitumque civitatis cuiusdam incrementum totiusque civium vitae acer impetus repente ingentem multitudinem heroum mythorumque quasi e solo virga magica percusso evocare potest. Cuius rei exemplum nulla civitas quam Atheniensium luculentius praebuit.

Tota fere mythologia Atheniensis intra quinquaginta annorum spatium ex levi quo premebatur somno ad vegetiorem vitam suscitata est. [1])

---

1) Ipsa ratio fert huius mythologiae urbanae renovationem et amplificationem in altera quinti saeculi parte maximos quidem progressus fecisse, at nequaquam subito incessisse aut subito desiisse. Quamquam haec mythologia paucis decenniis celeriter effloruit, per saecula antecedentia sequentia quoque succrevit et crescere perrexit plerosque Atticae cultus et sacra sensim absorbens. Nam synoecismum, qui appellatur, Atticum non solum ad res politicas et oeconomicas pertinuisse, sed etiam res sacras complexum esse, facile intellegimus et optime expressit Aristoteles (Polit. 1319, 11), qui Clisthenis et omnino Atheniensium exemplum spectans monuit, ad democratiam bene constituendam *τὰ τῶν ἰδίων ἱερῶν συνακτέον εἰς ὀλίγα καὶ κοινά*, sacra privata in pauca et communia esse contrahenda. Tota fere sacrorum Attico-

Persarum exercitibus classibusque debellatis Athenienses immortali gloria elati et mox totius Graeciae principes facti praesentia clara ex aeque honesta origine et vetustate nata esse ardenter cupiebant atque quotiens veterum temporum famam maiorumque illustrium maiestatem in annalibus suis frustra quaerebant, non deerant decora ingenia, quae hominum memoriae patriaeque historiae simulacro suo specioso auxilio venirent. Èt artifices èt poetae tempora illa oblitterata e tenebris in lucem proferre fabulasque antiquas sua arte auctas et illustratas aequalibus suis ante oculos ponere summo opere studuerunt.

„Pictoribus atque poetis
Quidlibet audendi semper fuit aequa potestas".

Quas fabularum amplificationes in patriae honorem additas rerum scriptores et oratores Attici avide arripuerunt et propagaverunt.

Huic mythologiae toti genti propriae atque communi

---

rum messe Athenae saginatae sunt et quae nos hodie de mythologia Attica Euripidis aevum praecedente comperta habemus, per Athenas ad nos pervenerunt. Inde sequitur ut ii cultus Attici, quos urbs non devoraverat et ita oblivioni non eripuerat, paulatim marcescere coeperint et magnam partem sine vestigio perierint, quod iam Diogenis Laertii diebus ita fuisse constat, qui commemorat *βωμοὺς ἀνωνύμους κατὰ τοὺς δήμους τῶν Ἀθηναίων*. (D. L. I 10, 3). Possumus tamen etiamnunc paucas reliquias illius veteris mythologiae Atticae indicare. Sic Cynnem, Cynnidarum gentis auctorem obscurum in Hymetto monte olim cultum habuisse novimus; Aristomachus *ἥρως ἰατρός* fuit, *ὃς ἐτάφη ἐν Μαραθῶνι παρὰ τὸ Διονύσιον καὶ τιμᾶται ὑπὸ τῶν ἐγχωρίων* (Bekk. Anecd. 262, 16); de Hesycho heroe quodam fama incerta ad nos penetravit, cuius fanum in Areopagi clivo *ἐκτὸς τῶν ἐννέα πυλῶν* erat (Schol. Soph. O. C. 489); Thoricus Cephalum suum habuit, Hecale demus heroinam cognominem et *Δία Ἑκάλειον* coluit. Pauca haec nomina (plura vid. apud Gruppium, gr. Myth. p. 40 sqq.) indicia sunt veteris mythologiae iam ante synoecismum tota Attica florentis, cuius latitudinem et vigorem hodie non iam animo concipere possumus.

nihil magis profuit quam scena Attica, ubi innumera spectatorum turba heroum suorum *κλέεα* non tantum auribus sed etiam oculis imbibebant, unde quisque fabularum poetico ingenio auctarum imaginem vividam et immortalem secum domum ferebat.

Cum autem Aeschylus et Sophocles magna ex parte maiorum vestigia secuti sint atque materiam dramatum praecipue e cyclo Troïco, Thebano, Argonautico, aliisque inde ab antiquissimis temporibus usu receptis hauserint, Euripides veteres illas et usitatas fabulas minime quidem neglegens vividum tamen animum et in alia detorsit, multos mythos Atticos odoratus est, multos heroas Atticos in scenam primus introduxit, ipsos in maius celebravit, eorum adversarios detrectavit. Satis audacter et violenter poetam in hac re egisse in vulgus quidem notum est, sed singulis locis hanc sententiam probare necesse est semperque quaerendum, quatenus poeta antiquiora tradiderit, quatenus de suo novaverit.

Quae investigatio difficillima et saepe prorsus irrita est, quia non solum mythorum Atticorum traditio ante-Euripidea parcissima est, sed etiam ipsa Euripidis dramata Attica magnam partem perierunt, quorum argumenta e paucis fragmentis utcumque eruenda sunt. In hac antiquissimae materiae paucitate circumspiciendum est, sintne alia subsidia quae adhibere possumus ad Euripidis mutationes et additamenta ab fabularum elementis pristinis internoscenda. Inopia adducti externa auxilia huc arcessere cogimur, auctores volo Euripidis aetate posteriores, qui multarum fabularum elementa conservaverunt, quorum nec ante nec apud Euripidem ullum vestigium reperitur, quorum tamen originem, etiamsi auctor de ea tacet, interdum aut Euripidi aut aevo Euripidem praecedenti cum multa veri specie

assignare possumus. Ut unum exemplum afferam: Medi, Aegei et Medeae filii, nec ante nec apud Euripidem ullum extat vestigium; investigatio tamen et comparatio auctorum aetatis serioris nos docent, hanc personam ab Euripide creatam et in Aegeum suam insertam esse. [1])

Hoc certe in vulgus statuere licet: Si Attici cuiusdam mythi pars, ante Euripidem plane ignota, postea apud auctores Atticos passim apparet, sponte nascitur suspicio, hanc partem a poeta aut inventam aut propagatam esse, quamquam talis suspicio pluribus et gravioribus argumentis confirmari debet et nonnumquam revera confirmatur. Simili modo elementum quoddam ante Euripidem celebratum, a posteris tamen e fabulae contextu expulsum atque subito tantum non prorsus evanidum, Euripidem eis exemplo fuisse suspicionem movet. [2])

Auctorum igitur Atticorum Euripidis aetate posteriorum investigatio atque comparatio accurata non solum melius illustrare potest, quantopere poeta apud posteros valuerit, sed etiam ipsius poetae tragoedias deperditas partim ad vitam revocare et mythi alicuius vestigia usque ad tempora Euripide antiquiora persequi interdum nos sinit. Quorum auctorum in numero primarium locum obtinent Atthidographi, qui in annalibus suis totam Atticae historiam inde a fabulosa origine composuerunt.

Hisce Atthidum scriptoribus haud ita multo ante a plerisque historicis hodiernis tantum non prorsus neglectis atque ita densa caligine mersis debitum honorem primus tribuit v. Wilamowitz, [3]) qui partim certe

ἠέρα μὲν ’σκέδασεν καὶ ἀπῶσεν ὀμίχλην.

---

1) Vid. plura de hac re infra cap. III.

2) Quisquis exemplum requirit, vid. quae de Thesei corona disputavimus, cap. IV.

3) Aristoteles und Athen I, p. 260—290.

De singulis quidem Atthidographis multa nos docere non potuit, sed satis superque ostendit Atthides illas diversas ita unum effecisse corpus, ut gravissima elementa communia haberent, quae semper e priore Atthide in proximam transire sibique constare solebant. Qua re intellegitur, qui fieri potuerit, ut Atthidographi ab iis, qui ex hoc fonte uberrimo hauserunt, saepissime non nominatim citentur sed cuncti uno vocabulo comprehendantur tamquam *οἱ τὴν Ἀτθίδα συγγράψαντες* vel aliquid eiusmodi. Neque Ister quae ab Atthidum scriptoribus de rebus Atticis tradita erant in unum corpus, *Ἀτθίδων συναγωγήν*, congerere potuisset, nisi magna pars omnibus communis fuisset.

Quamquam igitur quisque Atthidographus Atthidum priorum materiam gravissimam tamquam hereditatem sanctam recepit et integram heredi suo reliquit, non tamen fieri potuit, quin multas quoque res diverse tradiderint et saepe sibi oblocuti sint, quod totidem verbis apud Strabonem legimus (IX 1, 6): *οἵ τε τὴν Ἀτθίδα συγγράψαντες, πολλὰ διαφωνοῦντες, τοῦτό γε ὁμολογοῦσιν* e. q. s.

Haud sane multum proficimus statuendo partem Atthidum immutatam mansisse, partem a diversis scriptoribus diverse traditam esse, nisi simul cognoscimus, quid utrique parti assignari debeat. Quod quodammodo cognosci posse videtur. Nam ante omnia hoc est tenendum, Atthidas illas chronicorum urbanorum instar fuisse atque magna ex parte inniti indicibus magistratuum et pontificum aliisque tabulis publicis, a quibus deflectere nefas erat; unde lucide apparet in eis temporibus enarrandis, quae hoc solido fundamento carebant, singulis auctoribus multo maiorem fuisse licentiam a traditione recedendi suasque ipsorum sententias proferendi. Itaque in rebus historicis, quae tabulis supra dictis nituntur, maiorem consensum inter singulas Atthides exspectare pos-

sumus quam in iis, quae ad aetatem mythicam pertinent. Etiam multo magis quam aetas ipsarum rerum quae narrantur indoles et color indicio sunt, utrum referendae sint ad illud robur omnibus Atthidibus commune an ad unius scriptoris opinionem singularem a ceteris non receptam. Ratio enim fert eas narrationes et fabulas quae aliquo modo Atheniensium gloriam augebant semper magna cum cura collectas et conservatas esse. Itaque si in una Atthide fabula quaedam in patriae honorem narrata vel mutata erat, hanc narrationem vel mutationem in omnes Atthides sequentes translatam esse certum videtur. Hoc autem maxime valet de temporibus mythicis, quorum traditio facilius in patriae laudem detorqueri poterat. Ut exemplum afferam: Athenienses semper originem Aegei (primitus ab Athenis alienissimi) ab omni macula externa vindicare studuerunt eumque verum Pandionis filium fecerunt atque ita cum illustri Erechthei gente coniunxerunt. Hanc genealogiam non ab uno, sed ab omnibus Atthidographis grato animo receptam et propagatam esse, omni dubio vacat atque revera apud Phanodemum (fr. 3*a*) Aegeus Pandionis filius audit. Minime igitur fide dignus est Tzetzes (ad Lycophr. 495), contendens Androtionem tradidisse Aegeum *ἕνα τῶν ἀναδοθέντων ἐκ τῶν ὀδόντων τοῦ δράκοντος τοῦ ἐν Θήβαις* fuisse; quod errori deberi pro certo affirmare possumus. [1]) Tali in re omnes Atthides concordasse confidenter credere licet.

Denique nullo negotio intellegitur quamque Atthidem auctoris sui professionis, ingenii, studii speciem prae se ferre, Androtionem e. g., qui ipse historicus erat, res ad historiam pertinentes fusius tractasse, Philochorum autem *μάντιν καὶ ἱεροσκόπον* (ut Suidae verbis utar) in rebus sacris inter-

1) Vid. cap. V.

pretandis multum posuisse operae. Ita Demo et Philochorus, Euhemerismo imbuti, pragmatica fabulas interpretandi ratione saepius usi sunt, ut fragmenta testantur.[1])

Quamquam igitur scriptores illi suo quisque ingenio nonnihil indulsisse putandi sunt neque solum alii aliam eiusdem materiae partem accuratius tractaverunt sed etiam easdem res diverse narrantes inter se impugnaverunt (sic Philochorum Atthidem suam contra Demonis scripsisse traditum est) — quamquam, aio, multae discrepantiae inter eos exstant, caput rerum tamen semper fixum immotumque fuisse videtur, cuius fabulae illustrem Atheniensium originem atque historiam gentilem celebrantes magnam partem effecerunt.

Ita videmus Atthidographis in urbis suae historia fabulosa componenda idem propositum fuisse atque Euripidi in heroum Atticorum laudibus cantandis: Atheniensium originis autochthoniae maiorumque vitae celebrationem. Quare prima specie magnum consensum inter poetam et historicos nostros exspectamus. Cui exspectationi autem comparationis eventus non respondet, quod imprimis referri debet ad èt Atthidum èt dramatum Atticorum fragmentorum paucitatem et tenuitatem, ita ut perpaucae tantum fabularum frustulae supersint, quas ab utrisque tractatas hodie ante oculos habemus. Sed etiam in angusta illa materia et apud Euripidem et in Atthidibus obvia satis magnam dissimilitudinem invenimus. Unde nequaquam concludendum est Euripidis auctoritatem Athenis parum viguisse, immo notissimum est eius tragoedias, quamquam ab aequalibus non semper aequis auribus acceptas, post mortem magis magisque homi-

---

1) Vid. p. 10 sq.

num animos delectasse omnibusque exemplo fuisse. [1])

Atthidum scriptores quoque saepe poetae arbitrio ductos et rectos esse, multaque ex eius tragoediis in chronica urbana permanasse, ipsa res clamat et fragmenta nonnumquam testantur; discrepantiae autem illae satis crebrae non proveniunt ex minore scenae Atticae gratia, sed ex dissimilitudine quae erat (semperque erit) inter poetam et historicum, inter Musarum alumnum lascivum spectatorum oblectationem magis quam veritatem curantem et *ἄμουσον ἄνδρα* nimia diligentia omnia exquirentem, *ἐξακριβοῦν τὰ καθ' ἕκαστα βουλόμενον*, [2]) inter artificem summum artis poeticae et aestheticae legibus obtemperantem atque secundum eas mythos transfigurantem et „doctorem umbraticum" fabularum repugnantias odorantem resque miras et e phantasia poetica ortas rationaliter explicantem vel tamquam falsas reicientem. [3])

Ad hunc Euhemerismum praecipue quarto saeculo exeunte et saeculo sequenti homines inclinasse videntur, cum magis magisque labente Athenarum ceteraeque Graeciae auctoritate politica et gloria illa *τῶν αὐτοχθόνων* languescente humani quoque ingenii instinctus poeticus et „idealismus" hebescere coepisset et rationi frigidae pedestrique cessisset. Omnia saltem huius pragmaticae fabulas interpretandi rationis vestigia, quae in chronicis supersunt, reperimus apud

1) Ut Weilii verba afferam: Le goût du public pour Euripide se répand et s'accroît après la mort du poète. Nous le voyons bientôt régner sur les théâtres d'Athènes et de la Grèce, et plus tard sur ceux du monde grec et romain. Les grands acteurs le préfèrent, les poètes l'imitent, les écrivains le citent, tous ceux qui lisent le savent par coeur (H. Weil, Sept Trag. d'Eur., Introduction p. XVII).

2) Sunt verba Plutarchi de Clidemo, vita Thesei c. 26.

3) *Πολλὰ ψεύδονται ἀοιδοί, παροιμία ἐπὶ τῶν κέρδους ἕνεκα καὶ ψυχαγωγίας ψευδῆ λεγόντων.* (Philoch. fr. 1).

Androtionem et Demonem et Philochorum, qui eadem fere aetate vixerunt.

Sic e. g. Androtion originem Cadmi comitum e draconis dentibus infitiatus eos *σπαρτούς* appellatos esse dicit *διὰ τὸ συμμιγὲς καὶ σποράδην εἶναι.* Sed Thebani — sic pergit — *τὰ περὶ αὐτῶν ψευδῶς ἐτερατούργησαν* (Androt. fr. 28 et 29).

Demonis et Philochori interpretatio pragmatica Thesei contra Minotaurum expeditionis nota est[1]); simili modo Philochorus persuadere nobis studet, Cecropem biformem appellari propter insignem corporis magnitudinem aut quod duas linguas, quippe ex Aegypto oriundus, cognitas habebat (fr. 10).

Eadem ratione usus ex Triptolemi serpente volucri navem serpentis specie praeditam facere conatur (fr. 28). Et plura eiusdem farinae! (vid. fr. 18, 19, 46).

Sic evenit, ut Euripides et Atthidographi etiam in iis mythis tradendis, qui Athenarum famam profitentur, saepe non consentiant.

Me in mythorum vestigiis legendis non solum Atthidographos, sed etiam alios auctores, poetas, oratores, artifices consilio adhibuisse sponte intellegitur; Atthidographorum tamen ideo prae ceteris rationem habui, quod iis non perinde ac aliis auctoribus libere ingenio indulgere licebat, sed plerumque communem aevi sui opinionem de mythis epichoriis reddidisse existimandi sunt.

Itaque in hoc opusculo tractavi fabulas quae pertinent ad duos heroas Atticos, E r e c h t h e u m (Erechthidas) et T h e s e u m, quorum uterque Atheniensium animos semper ad se convertit omniumque cogitationes occupavit, alter

1) Vid. infra cap. V.

utpote qui Atticae incolis originem autochthoniam repraesentaret, alter tamquam rex δημοτικός et omnium dilectissimus, quem imprimis Atthidum scriptores tamquam causae popularis fautorem ardentem prae ceteris regibus in honore habuerunt.

Primum igitur quas partes hi heroes in scena Attica egerint, deinde quae ex eisdem fatis in chronicis urbanis (nec non alibi) reperiantur investigavimus, denique consensum aut discrimen inter poetas scenicos et scriptores historicos statuere et — quantum poterat — explicare conati sumus, sperantes laborem nostrum non plane inutilem fuisse ad Euripidis dramata Attica deperdita paulo melius intellegenda, ad Atthidographorum sententias et studia obscura in clariorem lucem protrahenda, postremo ad Euripidis auctoritatem, qua apud serioris aetatis auctores usus est, distinctius cognoscendam.

CAPUT I.

Erechtheus.

Quaerentibus, quid poetae tragici de Erechthei fabula doceant, Euripidis tantummodo nobis ratio erit habenda. Apud Aeschylum enim, qui quidem Orithyiae, fabulae tantum non plane deperditae, argumentum ex eodem fabularum conexu sumpsit, ipse Erechtheus nusquam commemoratur. Sophoclem quoque, cuius e tragoediis Erechthidarum fata enarrantibus praeter titulos nihil fere superest [1]) quique praeterea [2]) fabulam nostram nonnisi strictim attingit, silentio praeterire possumus.

Erechthei memoriae totum drama dedicavit Euripides, cuius argumentum ex ipsis fragmentis atque ex iis, quae de eo exposuerunt Lycurgus, Apollodorus, Hyginus, alii summatim certe restitui potest.

Inter tragoediae reliquias satis amplas forte fortuna unus servatus est versiculus, qui prologi materiam magna ex parte nobis patefacit.

Verba enim fr. 349 [3]):

Αἰθιοπίαν νιν ἐξέσωσ' ἐπὶ χθόνα

---

1) V. p. 39 sqq.

2) Soph. Ai. 202, Ant. 981 sqq.

3) Trag. fragm. numeros adscripsi ex ed. Nauckiana secunda.

sine ullo dubio nos delegant ad narrationem Apollodori, apud quem haec legimus (Bibl. III 15, 4):

Χιόνη δὲ Ποσειδῶνι μίγνυται· Ἡ δὲ κρύφα τοῦ πατρὸς Εὔμολπον τεκοῦσα, ἵνα μὴ γένηται καταφανὲς, εἰς τὸν βυθὸν ῥίπτει τὸ παιδίον. Ποσειδῶν δὲ ἀνελόμενος εἰς Αἰθιοπίαν κομίζει, καὶ δίδωσι Βενθεσικύμῃ τρέφειν αὐτοῦ θυγατρὶ καὶ Ἀμφιτρίτης. Ὡς δὲ ἐτελειώθη ἔνδον ἐν Βενθεσικύμης, ὁ ἀνὴρ τὴν ἑτέραν αὐτῷ τῶν θυγατέρων δίδωσιν. Ὁ δὲ καὶ τὴν ἀδελφὴν τῆς γαμηθείσης ἐπεχείρησε βιάζεσθαι· καὶ διὰ τοῦτο φυγαδευθεὶς, μετὰ Ἰσμάρου τοῦ παιδὸς πρὸς Τεγύριον ἧκε, Θρᾳκῶν βασιλέα, ὃς αὐτοῦ τῷ παιδὶ τὴν θυγατέρα συνῴκισεν.

Haec omnia prologi Euripidei argumentum reddere perspicuum est. Poeta enim, qui fragmento supra laudato testante exposuerat, quomodo Eumolpus a patre in Aethiopiam translatus esset, addere debuit, quam ob rem ex Aethiopia in Thraciam migraverit atque a quo ibi hospitio acceptus sit.

Tunc Apollodorus sic pergit:

Ἐπιβουλεύων δὲ ὕστερον Τεγυρίῳ καταφανὴς γίνεται, καὶ πρὸς Ἐλευσινίους φεύγει, καὶ φιλίαν ποιεῖται πρὸς αὐτούς. Αὖθις δὲ Ἰσμάρου τελευτήσαντος, μεταπεμφθεὶς ὑπὸ Τεγυρίου παραγίνεται, καὶ τὴν πρὸ τοῦ μάχην διαλυσάμενος, τὴν βασιλείαν παρέλαβε. Καὶ πολέμου ἐνστάντος πρὸς Ἀθηναίους τοῖς Ἐλευσινίοις, ἐπικληθεὶς ὑπὸ Ἐλευσινίων, μετὰ πολλῆς συνεμάχει Θρᾳκῶν δυνάμεως.

Quae Apollodorus hic addit de Eumolpo cum Eleusiniis amicitiam jungente et cum Thracibus suis contra Athenienses auxilio iis veniente, haec quoque vulgo Euripidis fabulae adjudicantur. Si quid video, sine ullo iure. Apollodorum enim non ipsos fontes poeticos evolvisse, sed doctrinam suam magna ex parte e compendio quodam historiae fabu-

laris conquisivisse, post Roberti[1], Bethii[2], Wagneri[3], aliorum studia certum mihi esse videtur maximaque igitur cautione opus esse in singulorum fontium fines designando neminem latet.

Quod autem statuimus initium de Eumolpo narrationis Euripideam versionem exprimere, inde minime sequitur sequentia quoque, quamquam apud Apollodorum cum praecedentibus arte cohaerent, ex eodem poeta fluxisse; immo omnia, quae hic de Eleusiniis narrantur ex diverso fonte hausta esse atque Eumolpum Euripideum Eleusiniorum socium non fuisse, demonstrare posse mihi videor.

Nam, ut alia omittam, vel hoc mirum est in dramatis fragmentis satis luculentis belli illius Eleusinii nullum superesse vestigium, quamquam praeter hoc argumentum ex silentio, fortiora mihi petenda esse facile concedo.

Ex omnibus auctoribus, qui Erechthei bellum fusius enarraverunt, unus Lycurgus Euripidem nominatim citat, qui sic incipit (c. Leocrat. § 98): *φασὶ γὰρ Εὔμολπον τὸν Ποσειδῶνος καὶ Χιόνης μετὰ Θρᾳκῶν ἐλθεῖν τῆς χώρας ταύτης ἀμφισβητοῦντα, τυχεῖν δὲ κατ᾽ ἐκείνους τοὺς χρόνους βασιλεύοντα Ἐρεχθέα* e. q. s.

Orator igitur tragoediae argumentum reddens non modo de Eleusiniis tacet sed etiam haud ambigue diversam belli causam affert. Copias suas Athenas ducit rex Thracum ad terram Atticam subigendam regnumque Atheniensium sibi vindicandum; nemini est socius, suo Marte pugnat.

Verisimillimum est praeter Lycurgum et alios oratores Atticos et Isocratem huius fabulae Atheniensium laudem

---

1) De Apollodori bibliotheca 1873.
2) Quaestiones Diodoreae mythographiae 1887.
3) Epitoma Vaticana ex Apoll. bibliotheca 1891.

pristinam praedicantis materiam ex Euripide deprompsisse. Quod si ita se habet, notandum videtur Isocratem bellum Eumolpi recensere inter bella, quae G r a e c i cum b a r b a r i s gesserunt. Orsus enim ab hisce verbis (or. IV, paneg. § 66): *Δοκεῖ δέ μοι καὶ περὶ τῶν π ρ ὸ ς τ ο ὺ ς β α ρ β ά ρ ο υ ς τῇ πόλει πεπραγμένων προσήκειν εἰπεῖν*, postquam pollicitus est se tria gravissima exempla allaturum esse, primum bellorum Persicorum mentionem facit, deinde sic pergit (§ 68): *οὐ μὴν ἐλάττω τεκμήρια τὰ παλαιὰ τῶν ἔργων ἐστὶ τοῖς περὶ τῶν πατρίων ἀμφισβητοῦσιν. ἔτι γὰρ ταπεινῆς οὔσης τῆς Ἑλλάδος ἦλθον εἰς τὴν χώραν ἡμῶν Θρᾷκες μὲν μετ' Εὐμόλπου τοῦ Ποσειδῶνος, Σκύθαι δὲ μετ' Ἀμαζόνων* e. q. s.

Etiam gravior ille Isocratis locus est (or. XII, panath. § 192), ubi orator breviter enumeraturus est hostes, qui Athenas adorti sunt, eorum duces, causas, socios (*τὰς προφάσεις, ἃς ἔλεγον καὶ τὴν δύναμιν τ ῶ ν γ ε ν ῶ ν τ ῶ ν σ υ ν α κ ο λ ο υ θ η σ ά ν τ ω ν α ὐ τ ο ῖ ς*). Si igitur Eumolpum pro Eleusiniorum socio habuisset, Isocrates, quippe qui bellorum causas bellatorumque socios se adjecturum esse promisisset, Eleusiniorum mentionem non facere non potuisset. Non magis de iis cogitabat quam Lycurgus, hoc dicens: *Θρᾷκες μὲν γὰρ μετ' Εὐμόλπου τοῦ Ποσειδῶνος εἰσέβαλον εἰς τὴν χώραν ἡμῶν, ὃς ἠμφισβήτησεν Ἐρεχθεῖ τῆς πόλεως, φάσκων Ποσειδῶ πρότερον Ἀθηνᾶς καταλαβεῖν αὐτήν*. Ipsa haec ultima verba accuratissime respondere belli causae, quam Euripides attulerat, mox apparebit. Denique notatu dignum vixque merae fortunae tribuendum est verbum *ἀμφισβητεῖν*, quod sponte nobis Lycurgum,[1] i. e. Euripidem, in mentem revocat, utroque Isocratis loco occurrere.

Revertamur ad ipsius tragoediae reliquias, quas si accura-

---

1) Vid. supra p. 15.

tius inspicimus, non dubitamus, quin poeta ipse distincte indicaverit Athenarum hostes Thraces esse omnes, infesto agmine in urbem contendentes, ut regi suo occupent regnum.

Quod lucide testantur verba fr. 360, vs. 46 sqq.:

οὐδ᾽ ἀντ᾽ ἐλάας χρυσέας τε Γοργόνος
τρίαιναν ὀρθὴν στᾶσαν ἐν πόλεως βάθροις
Εὔμολπος οὐδὲ Θρῇξ ἀναστέψει λεὼς
στεφάνοισι, Παλλὰς δ᾽οὐδαμοῦ τιμήσεται.

Opponuntur in his versibus oliva Minervae et tridens Neptuni; Neptuni filius redintegrat pugnam cum Athenarum rege, qua olim pater a Minerva victus erat.

Neque minus aperte Thraciae hastae cum Gorgone Attica certamen designant verba chori, qui belli finem desiderans pacem cantu celebrare cupit,

Θρῄκιον πέλταν πρὸς Ἀθάνας
περικίοσιν ἀγκρεμάσας θαλάμοις (fr. 369).

Nisi assueti essemus Eumolpi nomen quasi sponte et ultro cum Eleusiniis coniungere, haec certe fragmenta iamdudum verum patefecissent neque umquam cuiusquam animum ad Eleusinios deduxissent.

Belli nostri apud Euripidem semel praeterea mentio fit (Phoen. 854), ubi Tiresias, a Creonte Thebas arcessitus, priore die se Athenis venisse ait, addens:

κἀκεῖ γὰρ ἦν τις πόλεμος Εὐμόλπου δορὸς,
οὗ καλλινίκους Κεκροπίδας ἔθηκ᾽ ἐγώ.

Hic quoque Eleusinii non commemorantur. Neque igitur apud ipsum Euripidem, neque apud Lycurgum, qui poetam auctorem citat, neque apud alios oratores Atticos, qui eum secuti esse videntur, ullum Eleusiniorum vestigium latet, immo ab omnibus Erechtheus b a r b a r o s vincens inducitur.[1])

1) His iam scriptis v. d. Emilium Ermatingerum idem iam suspicatum esse video, partim iisdem argumentis nisum; vid. Die Attische Autochthonensage bis auf Euripides, p. 104 sqq.

Hoc vetustissimo belli Eleusinii testimonio sublato licet quidem suspicari nos in „Erechtheo" primariam fabulae formam ante oculos habere et Euripidem fabulam de Eumolpo Eleusiniorum duce compertam non habuisse, sed serioris demum aetatis scriptores, Eumolpi nomine in errorem inductos, iniuria Eleusinios cum fabula coniunxisse et societatem inter eos et Thraces finxisse.

Sed fabulam Eumolpi cum Eleusiniis contra Erechtheum bellantis ante Euripidem non exstitisse per se verisimile non est atque refellitur loco Thucydideo (II 15), ubi iam commemorantur *Ἐλευσίνιοι μετ' Εὐμόλπου πρὸς Ἐρεχθέα.*

Breviter historicus hoc bellum exempli gratia affert atque de eo loquitur tamquam de re certissima et iamdiu cuique nota. Itaque Euripides quoque Eumolpi cum Eleusiniis foedus noverat, sed consulto fabulam mutavit et Eleusinios ex ea omisit. Neque qua re adductus hoc fecerit, difficile intellectu est. Imaginem enim veteris illius deorum de terra Attica certaminis reddere volebat neque Eleusinios in rem suam convertere poterat. Hoc dramatis consilium praeter Isocratem [1]) optime reddidit scholiasta ad Phoen. 854, annotans: *τινὲς δὲ υἱὸν Ποσειδῶνος τὸν Εὔμολπόν φασιν, ὃς ἡττηθεὶς ὑπὸ τῆς Ἀθηνᾶς εἰς τὴν ἔριν τὴν περὶ τῆς Ἀττικῆς διὰ τῆς ἐλαίας τὸν υἱὸν αὐτοῦ κατὰ τῶν Ἀθηναίων ἐκίνησεν* nec non Hyginus (fab. 46), hisce verbis: „Eumolpus, Neptuni filius, Athenas venit oppugnaturus, quod patris sui terram Atticam fuisse diceret".

Denique poetae non erat, quod anno 421 — quo fabula acta est — antiquam et obliteratam Athenarum Eleusinisque aemulationem spectatoribus rursus ante oculos proponeret, cum iamdudum hae civitates in unam coaluissent et ipsi

1) Loco supra l. (Panath. 193).

Eleusinii in theatro adessent. Quanto gratius autem iis praebebat spectaculum Thracum caedes, quorum infidelitate nuper Cleonem suum amiserant!

Dramatis proposito generali illustrato restat ut de singulis breviter agamus.

Haud dubie fr. 349:

Αἰθιοπίαν νιν ἐξέσωσ' ἐπὶ χθόνα

ad prologum est referendum, quem Neptunus suscepisse videtur. Codicum enim lectionem *ἐξέσωσας* iam Lobeck [1]) correxit, frustra metro invito a Welckero [2]) defensam, qui prologum Erechtheo tribuit. At minime consentaneum est, Erechtheum haec omnia de adversario suo et barbaro tam accurate comperta habere. Neque facile alium quendam excogitaveris, qui apte Eumolpi orginem et fata enarraret, nisi ipse pater. [3])

Accedit quod eo modo pulcherrime dramatis initio Neptunus filii et propugnatoris sui adventum nuntiat, Athena autem victrix in fine apparet ad alumni sui et terrae suae vindicis honores divinos instituendos.

In Phoenissis (854 sqq.) Tiresias gloriatur Atheniensium victoriam sibi deberi, a qua versione poetam in nostro dramate recessisse testatur Lycurgus, qui regem oraculum Delphicum consuluisse narrat; quod insuper confirmatur a Demarato, qui haud ambigue Euripidem respiciens haec habet (Tragod. fr. 4): *Ἀθηναίων πρὸς Εὔμολπον τὸν Θρακῶν βασιλέα* [4]) *πόλεμον ἐχόντων Ἐρεχθεὺς ὁ τῆς Ἀττικῆς προιστά-*

---

1) Agl. p. 216.
2) Griech. Trag. p. 717.
3) v. Wilam. (Aus Kydath. p. 141 A 63) quoque Neptuno prologum adiudicat.
4) Notandum est Demaratum quoque Euripidis exemplum secutum Eumolpum T h r a c u m regem appellare et de Eleusiniis silere.

μενος χρησμὸν ἔλαβεν, ὅτι νικήσει τοὺς ἐχθροὺς, ἐὰν τὴν πρεσβυτάτην τῶν θυγατέρων Περσεφόνῃ θύσῃ. Παραγενόμενος δ'εἰς 'Αθήνας Πραξιθέᾳ τῇ γυναικὶ τὴν Πυθόχρηστον μαντείαν ἀπήγγειλεν, εἶθ' οὕτω τὴν κόρην προσαγαγὼν τοῖς βωμοῖς ἀνεῖλε καὶ συμβαλὼν τὸν πόλεμον ἐγκρατὴς ἐγένετο τῆς νίκης.

Nec non Dodonam eum adiisse efficimus e fr. 367:

ἐν ἀστρώτῳ πέδῳ
εὕδουσι, πηγαῖς δ'οὐχ ὑγραίνουσιν πόδας.

Infeliciter coniecit Meineke non de Sellis, sed de Thracibus ab Eumolpo in aciem eductis haec dicta esse, cui assentitur Nauck. Ad Dodonam quoque verba fr. 368 *μίασμα δρυός* pertinere videntur. Quicumque miratur duo oracula ab Erechtheo consulta esse, recordetur Croesi compluria oracula consulentis, dimittentis *ἄλλους ἄλλῃ, τοὺς μὲν ἐς Δελφοὺς ἰέναι, τοὺς δὲ .... ἐς Δωδώνην.* (Herod. I, 46). Ex ipso quoque Euripide analogon afferre possumus, ex „Ione", ubi Xuthus primum oraculum Trophonii, deinde Delphicum de eadem re consuluisse dicitur (Eur. Ion vs. 300—302).

Verba Plutarchi (Moral. 310 D): „*'Ερεχθεὺς πρὸς Εὔμολπον πολεμῶν ἔμαθε νικῆσαι, ἐὰν τὴν θυγατέρα προθύσῃ, καὶ συγκοινωνήσας τῇ γυναικὶ Πραξιθέᾳ προέθυσε τὴν παῖδα. μέμνηται Εὐριπίδης ἐν 'Ερεχθεῖ*" probant regem uxorem suam Praxitheam celare non potuisse [1]), cui sacrificii apparatus destinatus esset. Immo reginam maritum suum dubitantem et cunctantem ad sacrificium crudele incitasse summo iure e fr. 360 vs. 36 sqq. effecit Wecklein, [2]) ubi Praxithea Erechtheum hisce verbis alloquitur:

---

1) Cf. Demar. l. l.: ... *Πραξιθέᾳ τῇ γυναικὶ τὴν Πυθόχρηστον μαντείαν ἀπήγγειλεν.*

2) Sitz. ber. der K. b. Akad. der Wiss. zu München 1890, p. 8 sqq.

Καὶ τὴν τεκοῦσαν καὶ σὲ δύο θ᾽ ὁμοσπόρω
σώσει· τί τούτων οὐχὶ δέξασθαι καλόν;

Ex tribus filiabus (v. fr. 357 *ζεῦγος τριπάρθενον*) maxima natu [1]) immolata ceteras se interfecisse novimus e. g. ex Hygino (fab. 46): Chthonia filia cum esset immolata, ceterae fide data se ipsae interfecerunt.

De Erechthei morte nihil certi fragmenta tradunt. Si Apollodorum et Hyginum sequimur, a Neptuno perditus est; quod et ipse Euripides in „Ione" (v. 282) affirmat:

πληγαὶ τριαίνης ποντίου σφ᾽ ἀπώλεσαν.

Nisi alia obstant, in promptu est suspicari, Erechtheum in nostra fabula eodem modo mortem obiisse. In re tam gravi Euripidem sibi constare prope necesse fuit, quamquam eum in levioribus saepe sibi obloqui minime ignoro. Neque est quod poetam hic novasse statuamus, dummodo ne Welckero, quem alii multi sunt secuti, [2]) concedamus, Erechtheum gravi vulnere saucium in scenam portatum esse atque ibi, postquam filio valedixisset, animam exspiravisse. Immo summo iure Wecklein [3]) e fr. 362, quod ultima Erechthei ad filium verba continet, effecit patrem totam hanc orationem habuisse, non, postquam moribundus in scenam portatus est, sed antequam ad pugnam est profectus, unde dei telo ictus, domum non rediit.

---

1) Cf. Demarati locus supra l. Erechtheum filiam minimam natu mactavisse tradit Apollod. III, 15, 4.

2) Vid. e. g. Hiller de Gaertringen, De Graecorum Fabulis ad Thraces pertinentibus, p. 20 sqq. Qui eodem loco Wilamowitzium, fr. sp. 430:

οἴμοι, δράκων μοι γίγνεται τὸ ἥμισυ·
τέκνον, περιπλάκηθι τῷ λοιπῷ πατρί.

intempestive huc afferentem satis superque refutavit. Cf. v. Wilam. Aus Kydath. p. 141, 228.

3) l. l. ubi vid. Assentitur E. Mueller, De Graecorum deorum partibus tragicis, p. 97 = Religionsgesch. Vers. u. Vorarb. VIII, 3.

Filium suum igitur in fine dramatis pater allocutus est et de principis officiis admonuit. At obstare videtur fr. 360, vs. 22 sqq., ubi Praxithea haec dicit:

εἰ δ' ἦν ἐν οἴκοις ἀντὶ θηλειῶν στάχυς
ἄρσην, πόλιν δὲ πολεμία κατεῖχε φλόξ,
οὐκ ἄν νιν ἐξέπεμπον εἰς μάχην δορός,
θάνατον προταρβοῦσ';

Quod autem regina hoc loco sibi filium esse aperte negat, non urgendum videtur. Habebat sane filium, sed non, qualem in bellum mittere posset, quare exclamat

ἀλλ' ἔμοιγ' εἴη τέκνα
ἃ καὶ μάχοιτο καὶ μετ' ἀνδράσιν πρέποι,
μὴ σχήματ' ἄλλως ἐν πόλει πεφυκότα! (fr. 360 vs. 25 sqq.).

Erat nimirum admodum iuvenis, ut efficimus e verbis patris, puerum sic alloquentis:

βούλομαι δὲ σοί, τέκνον,
— φρονεῖς γὰρ ἤδη κἀποσῴσαι' ἂν πατρὸς
γνώμας φράσαντος, ἢν θάνω — παραινέσαι
e. q. s. (fr. 362 init.).

Denique schol. Arati 172: *Εὐριπίδης μὲν οὖν ἐν Ἐρεχθεῖ τὰς Ἐρεχθέως θυγατέρας Ὑάδας φησὶ γενέσθαι, τρεῖς οὔσας* nos docet, Minervam in fine dramatis intervenisse atque filiarum (nec non patris) divinos honores institui iussisse.

Fabulae forma Euripidea, quantum fieri poterat, restituta eius progressum apud aliquos scriptores aetate posteriores indagare atque, quatenus chronica Attica eandem formam exprimant, statuere conabimur.

Legimus apud Suidam (Phanodem. fr. 3)[1]: *Παρθένοι·*

---

1) Atthidographorum fragmenta cito ex „Muelleri Fragm. Hist. Gr.“ vol. I, p. 359 sqq.

τὰς Ἐρεχθέως θυγατέρας οὕτως ἔλεγον καὶ ἐτίμων. Ἦσαν δὲ ἀριθμὸν ἕξ. Πρεσβυτάτη μὲν Πρωτογένεια· δευτέρα δὲ Πανδώρα· τρίτη Πρόκρις· τετάρτη Κρέουσα· πέμπτη Ὠρείθυια· ἕκτη Χθονία. Τούτων λέγεται Πρωτογένεια καὶ Πανδώρα δοῦναι ἑαυτὰς σφαγῆναι ὑπὲρ τῆς χώρας, στρατιᾶς ἐλθούσης ἐκ Βοιωτίας. Ἐσφαγιάσθησαν δὲ ἐν τῷ Ὑακίνθῳ καλουμένῳ πάγῳ ὑπὲρ τῶν Σφενδαλέων. [1]) Διὸ καὶ οὕτως καλοῦνται παρθένοι Ὑακινθίδες, καθάπερ μαρτυρεῖ Φανόδημος ἐν τῇ πέμπτῃ Ἀτθίδι, μεμνημένος τῆς τιμῆς αὐτῶν· καὶ Φρύνιχος Μονοτρόπῳ. [2])

Multis partibus haec ab argumento Euripidis fabulae abhorrere statim apparet. Quaeramus an unam alteramve causam detegere possimus, quae Atthidographum induxerit, ut a fama communi recederet.

Non tres, sed sex filiae Erechthei a Phanodemo commemorantur additis nominibus. Quae discrepantia mira non est. Euripides enim in Erechtheo sua non habebat, quod praeter tres illas, quae pro patria se sacrificaverunt, aliarum mentionem faceret; immo Hyadum numerus eum cogebat Erechthidarum numerum ad tres redigere, nisi fingere voluisset partem sororum se interfecisse, partem superstitem fuisse; quod esset absurdum. Ipse autem in „Ione" (quarta enim ibi ei opus erat) unam addidit, alii alias commemorant; undique eas conquisivit Atthidographus.

Haud ita facile intellegitur, cur apud Phanodemum non tres, sed duae tantum ex iis, Protogenia et Pandora, pro

---

1) Sic enim cum Valcken. et Hemsterh. legendum est pro Σφενδονέων. Nam Σφενδόναι τόπος Ἀθήνησιν (ut legimus in Bekk. Anecd. 202, 22), supra quem nullo modo Hyacinthus collis situs esse dici potest. Ubi Σφενδάλη fuerit, docet Stephanus Byz.: Σφενδάλη δῆμος Ἱπποθοωντίδος φυλῆς et praeterea optime cognoscimus ex Herodoto (IX 15), qui narrat Mardonium Decelea Sphendaleas et inde Tanagram contendisse.

2) De Phrynichi Monotropo cf. p. 34, adn. 1.

patria morti se obtulisse dicantur. Welckerus hoc discrimen inter Euripidem et Phanodemum tollere conatur, statuens Phanodemum hic tantum loqui de duabus sororibus, quae sponte se interfecerunt, mentionem autem tertiae, quae invita immolata est, casu quodam e textu excidisse. At verba: δοῦναι ἑαυτὰς σφαγῆναι dici non potuerunt de sua manu mortem sibi consciscentibus neque ὑπὲρ τῆς χώρας apte dicitur de iis, quae non pro patria, sed sororis gratia mortuae sunt.

Hoc modo igitur difficultati mederi non possumus. Sed quisquis filiarum nomina paulo accuratius spectat, facile Atthidographi consilium detegit. Studuit enim Erechthidarum fata fabulis aliunde notis accommodare. Sex tantummodo filiae ei notae erant. E quibus Orithyiam a Borea raptam esse nemo ignorabat, neque qua fortuna Procris, Cephali uxor, usa esset, eum latebat. Creusa, Ionis mater, Ionidarum, Chthonia, Butae uxor, [1]) Eteobutadarum genus cum Erechtheo conectebant. Restabant ergo nonnisi Protogenia et Pandora, quae utpote innuptae (παρθένοι) pro patria mori potuerant. Quod ambae dicuntur δοῦναι ἑαυτὰς σφαγῆναι ὑπὲρ τῆς χώρας neque altera, quae a patre immolata est atque altera, quae se ipsa interfecit, discernuntur, eadem breviloquentia est, quam legimus apud Euripidem in „Ione": [Erechtheus] ἔτλη πρὸ γαίας σφάγια παρθένους κτανεῖν. [2]) Quae Creusae verba ergo minime repugnant iis, quae in „Erechtheo" acta erant, ut iniuria statuit Hermannus (Eur. Ion, p. XXXIII).

Eo quoque Phanodemus ab Euripide differt, quod exercitum hostilem ex Boeotia, non ex Thracia appropinquare

---

1) Apollod. III 15, 1: Χθονίαν μὲν οὖν ἔγημε Βούτης.
2) Vs. 279.

ait. Quod autem eodem redire videtur. Iure enim monuit Toepffer[1]) Erechthei adversarios Thraces illos Boeoticos fuisse, quos antiquissimis iam temporibus in Boeotiae parte occidentali consedisse nota res est; quod nomen eorum regis Tegyrii, Tegyrae urbis eponymi, facile probat. Parum igitur refert, utrum exercitus e Thracia an e Boeotia appropinquare dicatur. Hoc tamen tenendum est de Eleusine hic quoque taceri, unde efficere licet Phanodemum, Euripidem secutum, Eleusinios e mytho expulisse.

Quo duce Thraces illi Athenas contenderint, Phanodemus quidem non addit, sed in chronicis Atticis quoque E u m o l p u m Erechthei adversarium fuisse per se verisimile est et ex aliis locis intellegitur. Minime enim adstipulamur Toepffero,[2]) Atthidographis adiudicanti alteram illam versionem, qua Ismarus (vel Immaradus[3]) in Eumolpi locum substituitur. Quae varietas primum nobis occurrit apud Pausaniam, qui haec dicit (I 27, 4): *ἔστι δ' ἀγάλματα μεγάλα χαλκοῦ διεστῶτες ἄνδρες ἐς μάχην· καὶ τὸν μὲν Ἐρεχθέα καλοῦσι, τὸν δ' Εὔμολπον. καίτοι λέληθέ γ' οὐδὲ Ἀθηναίων, ὅσοι τὰ ἀρχαῖα ἴσασιν, Ἰμμάραδον εἶναι, παῖδα Εὐμόλπου, τὸν ἀποθανόντα ὑπ' Ἐρεχθέως.*

Qui sunt illi Athenienses *ὅσοι τὰ ἀρχαῖα ἴσασιν*? Atthidographos hisce verbis a Pausania designari vulgo[4]) — et temere — sumitur. Quod non crediderim. Immo chronica urbana fontem Pausaniae hic n o n fuisse, demonstrare posse mihi videor.

---

1) Attische genealogie, p. 42.

2) Att. gen. p. 43.

3) Ismarum *ὑποκοριστικῶς* Immaradum nominatum esse observavit Maass, Hermes XXIII p. 617. *Ἴσμαρος* abiit in *Ἰσμάραδος*, *Ἰσμάραδος* in *Ἰμμάραδος*, sicut *ἔσμι* in *ἐμμὶ*, *Ϝεσνυμι* in *Ϝέννυμι*; cf. C. O. Mueller, Kl. deutsche Schr. II p. 250.

4) v. praeter Toepff. etiam v. Wilam. Kydath. p. 126.

Ante omnia hic Pausaniae locus aperte indicat, communem Atheniensium opinionem fuisse, hoc clarissimum Myronis [1]) opus in arce positum certamen Erechthei et Eumolpi repraesentare. Itaque permirum esset, si Atthidographi in chronicis suis, quae plerumque in rebus gravioribus traditionem vulgatam reddebant [2]), de artificio tam celebri tamque insigni loco posito singularem opinionem protulissent.

Accedit quod idem periegeta alio loco (I 5, 2) de Erechtheo dicit: *ὃς ἐνίκησεν Ἐλευσινίους μάχῃ καὶ τὸν ἡγούμενον ἀπέκτεινεν Ἰμμάραδον τὸν Εὐμόλπου.* Quae ex eodem fonte eum hausisse manifestum est. [3]) Illi *τὰ ἀρχαῖα εἰδότες* igitur Immaradum Eleusiniorum ducem appellant; at supra iam vidimus Phanodemum Eleusinios Euripide auctore e fabula omisisse et hostes e Boeotia accedentes finxisse. Qua in re cum ceteris Atthidographis congruisse videtur, qui semper omnibus viribus contenderunt, ut Eumolpum Thracium, ferocem illum bellatorem, quam longissime ab Eleusiniis secernerent, ne barbarus ille sacra Eleusinia instituisse videretur, quod adhuc conspicitur in Istri fr. 20: *Εὔμολπος, οὐχ ὁ Θρᾷξ . . ., ἀλλ' ὁ θεὶς τὰ μυστήρια* et fr. 21: *. . . ἀξιοῦσιν ἔνιοι, πρῶτον Εὔμολπον ποιῆσαι τὸν Δηϊόπης τῆς Τριπτολέμου τὰ ἐν Ἐλευσῖνι μυστήρια, καὶ οὐ τὸν Θρᾷκα, καὶ τοῦτο ἱστορεῖν Ἴστρον* e. q. s.

Hanc igitur ob causam iam statuerant duos fuisse Eumolpos, pium Eleusiniorum sacerdotem et Eumolpum Thracium, veterem Atheniensium hostem. Quam acriter Euripideam

---

1) cf. Paus. IX 30, 1 . . . *ἔργον τῶν Μύρωνος θέας μάλιστα ἄξιον μετά γε τὸν Ἀθήνησιν Ἐρεχθέα.*

2) cf. praef. p. 11.

3) „man muss ja im Pausanias meist die glieder einer und derselben notiz aus verschiedenen ecken zusammenlesen" (v. Wil. Aus Kyd. p. 126_{45}).

versionem, qua omnis Eleusiniorum cum hoc Eumolpo necessitudo dissolvebatur, arripuerint, facile intellegas. Cum semel Erechthei adversarium ab Eumolpo Eleusinio et omnino ab Eleusiniis disiunxissent, nihil restabat, quod eos adduceret, ut pro Eumolpo Immaradum quendam substituerent. Denique Philochorus ipsum Eumolpum nominat fr. 33: .. *πολεμουμένοις Ἀθηναίοις ὑπὸ Εὐμόλπου τοῦ Ποσειδῶνος, Ἐρεχθέως βασιλεύοντος.*

Itaque ubicumque Atthidographi Erechthei belli mentionem faciunt, Eumolpum ei opponunt, exercitum hostilem e Boeotia venire fingunt, de Eleusiniis tacent.

Ergo Immaradus, Eleusiniorum dux, Atthidibus ignotus fuit atque excogitatus est ab aliis, *οἳ τὰ ἀρχαῖα ἴσασιν* (quicumque fuerunt), qui aliam viam ingressi esse videntur, ut mysteriorum conditorem et Eumolpidarum generis illustrissimi auctorem ab Erechthei hoste feroci internoscerent. Non enim — ut Atthidographi — duos fuisse Eumolpos statuerunt, sed Eumolpum s a c e r d o t e m tantummodo agnoscentes b e l l a t o r i s nomen mutaverunt. Quos secutus est Pausanias. Partim ex eodem fonte obscuro fluxerunt verba scholiastae ad Eur. Phoen. 854, ubi praeter Eumolpum etiam duo alii Neptuni filii, Phorbas et Immaradus, ab Erechtheo interfecti esse dicuntur. Hoc scholium probat, quomodo posteriores conati sint duas illas diversas fabulae formas coniungere et Immaradum fratrem Eumolpi reddiderint. Eodem modo apud Pausaniam (l. l.) Eumolpi f i l i u s audit, quod ii, qui primum Immaradum pro Eumolpo substituerant, addere non potuerunt; nam sacerdotis filium non magis quam ipsum patrem cum Erechtheo bellum gessisse dedecebat. Postea demum Immaradus Eumolpi filius factus est.

Longe igitur a vero aberravit Toepffer, statuens Immaradum sive Ismarum illum antiquum et principalem Erechthei

adversarium fuisse et Euripidem demum in eius locum Eumolpum substituisse, ut filium Neptuni cum Minervae alumno in bello componeret, paulatim autem Ismarum ab Eumolpo in historia fabulari repressum esse. At si Euripides primus pro Ismaro Eumolpum substituisset, nemo spectatorum facere potuisset, quin honesti sacerdotis Eleusinii intempestive memor novum illius barbari bellatoris nomen reprehenderet et indignaretur. Accedit quod locus ille Thucydideus, iam supra laudatus [1]), comprobat fabulam belli ab Eumolpo cum Erechtheo gesti iam ante Euripidem notam fuisse.

Ut paucis haec comprehendam:

Ante Euripidem exstabat fabula Eleusiniorum Eumolpo duce contra Erechtheum bellantium. Ab Euripide, dramatis oeconomiae consulente, Eleusinii summoti sunt atque Eumolpus purus putus Thrax factus est. Quem Atthidographi, Eleusinium sacerdotem et barbarum pugnatorem unum et eundem hominem fuisse negantes, avide secuti sunt duosque fuisse Eumolpos statuerunt. Alii [2]) diverso modo idem assequi conati Eumolpum Thracium aboleverunt et Immaradum Thracium in eius locum substituerunt atque in bello Eleusinio Eleusiniis socium dederunt [3]).

---

1) Thuc. II 15; vid. p. 18.

2) Sunt ii, quos Pausanias vocat *Ἀθηναίων, ὅσοι τὰ ἀρχαῖα ἴσασιν.*

3) Ismarum, Thracem Boeoticum, Thebas quoque viam fecisse, mirum non est. Locum ibi obtinuit in ducibus, qui Thebarum portas contra septem illos defendunt (Apollod. III 6, 8). Astaco natus esse et Hippomedontem in bello interfecisse dicitur.

Ismarum primitus hinc alienum esse et postea demum ex mythologia Attica huc translatum et in ducum Thebanorum seriem receptum esse, docet Aeschylus, qui non Ismarum sed Hyperbium, Oenopis filium, Hippomedonti opponit (Sept. adv. Th. 504). Ii, qui Ismaro locum inter duces Thebanos tribuere cupiebant, Hyperbium e catalogo Aeschyleo expulerunt et Ismarum substituerunt. Huic novo hospiti, e mytho Attico arcessito, originem vere

Posteriores nunc Eumolpum, nunc Immaradum Erechthei adversarium appellari videntes, hoc discrimen, cuius origo eos latebat, tollere studuerunt statuendo Immaradum fratrem vel filium Eumolpi fuisse atque ambos simul ab Erechtheo necatos esse. Hos igitur sequitur Pausanias, cum *'Αθηναίων, ὅσοι τὰ ἀρχαῖα ἴσασιν* versionem referens, verba *παῖδα Εὐμόλπου* addit, duo diversa momenta fabulae progressus confundens [1]).

Denique restat ut unam discrepantiam inter Euripidem et Phanodemum notemus; ab hoc enim filiae a colle, in quo mactatae erant, Hyacinthides, ab illo Hyades vocantur.

Hyacinthides praeterea audiunt apud Phrynichum in Monotropo et Demosthenem (epitaph. 27).

Vulgo tamen Hyacinthides non Erechthei sed Hyacinthi Lacedaemonii filiae appellantur, e. gr. ab Apollodoro (III 15, 8), qui narrat Athenienses, urbe a Minoe circumventa atque fame et peste ibi exortis, ex deorum responso Hyacinthi filias ad Geraesti Cyclopis tumulum iugulavisse. Harum enim patrem Lacedaemone Athenas commigravisse. Singula nomina ab Apollodoro addita sunt: Antheis, Aegleis, Lytaea, Orthaea.

Thebanam quaerentibus auxilio venit ipse Aeschylus, qui eis patrem Ismaro aptum suppeditavit. Commemoraverat enim poeta inter bellatores Thebanos Melanippum, filium Astaci, cuius originem puram distincte praedicat, v. 412 sq.:

Σπαρτῶν δ'ἀπ' ἀνδρῶν, ὧν Ἄρης ἐφείσατο,
ῥίζωμ' ἀνεῖται, κάρτα δ'ἔστ' ἐγχώριος.

Ita Ismarus Astaci, Thebarum indigenae, filius et Melanippi frater factus est.

1) Si verum est, quod coniecimus, Immaradum primo non tamquam Eumolpi filium in mythum introductum esse, Toepfferi scrupulus tollitur neque iam quicquam obstat, quominus cum Wilamowitzio sumamus etiam chronologiam fuisse in causis, quae effecerunt, ut Immaradus Eumolpi locum obtineret, ne Erechtheus cum pronepote suo bellaret. (v. Toepff. A. G. p. 43_4 et v. Wil. Aus Kyd. p. 126).

Etiam apud Lycurgum (fr. 67) legimus, Hyacinthides filias Hyacinthi Lacedaemonii esse et ab Hygino (fr. 238) inter patres, qui filias suas sacrificaverunt, numeratur „Hyacinthus Spartanus Antheidem filiam ex responso pro Atheniensibus."

Diodorus Siculus quoque Hyacinthidum mentionem facit, sed earum originem non addit; oratorem quendam inducit in comitiis dicentem: *„δεῖν . . . μιμήσασθαι τὰς Λεὼ κόρας καὶ τὰς Ὑακινθίδας, καὶ τὸν θάνατον ἑκουσίως ὑπομεῖναι" . . . καὶ τὴν ἀνανδρίαν καὶ δειλίαν ὠνείδιζε τῶν μὴ βουλομένων ὑπὲρ τῆς πόλεως τελευτᾶν* (Diod. Sic. XVII 15, 2).

Hoc igitur inter omnes constat Hyacinthides fuisse virgines, quae pro patria a patre sacrificatae sunt vel ipsae sponte mortem obierunt; ab aliis tamen — in quibus Atthidographus noster — Erechtheo natae et ab Hyacintho monte, quo loco essent mactatae, Hyacinthides vocatae fuisse traduntur, ab aliis filiae Hyacinthi Lacedaemonii, qui Athenas migravisset, nominantur. Praeterea erant, qui traderent Erechthei filias post mortem non sub nomine Hyacinthidum sed Hyadum cultas fuisse. Unde haec varietas?

Si ad tempus omnia, quae antiqui de Hyacinthidum origine commenti sunt missa facimus et ipsum nomen spectamus, apparet ante omnia quaerendum esse, quis Hyacinthus ille fuerit, unde virgines nomen suum deduxerint.

Quamquam hodie Hyacinthi nomen omnium animos sponte ad Peloponnesum trahit et Hyacinthus ab Amyclis secerni non iam potest, huius dei tamen incunabula minime ibi praecipue quaerenda esse viri docti Kretschmer [1]) et Fick [2]) summo iure statuisse videntur, demonstrantes suffixum — *ινθος* huius nominis originis praehellenicae certum indicium esse.

1) Einleitung in die Geschichte der Griech. Sprache p. 404.
2) Vorgriech. Ortsnamen p. 58, 153.

Sive autem Hyacinthus Lelegum (quod coniecit Fick [1])) sive aliorum deus fuit, eum antiquissimis temporibus in insulis terrisque maris Aegei, in Asia, in Peloponneso nec non in Attica cultum fuisse satis superque demonstratum est. [2])

Qualiscumque huius dei antiqui indoles fuit, quascumque partes in regionibus mare Aegeum circumiacentibus egit, eum initio ubique sui iuris fuisse et proprium suum cultum habuisse et etiam in Peloponneso non semper in Apollinis tutela fuisse, non est quod moneam. Hyacinthus Amyclis *αὐτάρκειαν* suam paulatim amisit et denique plane Apollini subiectus est eodem modo atque Lacedaemone Carneus.

Hyacinthus Peloponnesius Apollinis adventu non expulsus est, sed a novo et potentiore deo haustus cum eo in unum corpus coaluit, una cum eo immortalis redditus est „honorque durat in hoc aevi." Hyacinthus Atticus tam illustris patroni expers sine vestigio fere interiit. Huius dei memoria tantummodo superstes est in nomine Hyacinthi collis in Atticae parte septentrionali super Sphendalen siti et in Hyacinthidum cultu, quae, ipso Hyacintho iamdiu ex hominum memoria deleto, in dearum Atticarum numero locum semper obtinuerunt.

Vetustissimi cultus Attici vestigia hic agnoscere mihi videor ex temporibus illis antiquissimis, cum Apollo Hyacinthum nondum absorbuisset. Nam Hyacintho Attico cum Apolline nullam intercessisse rationem, certum videtur. Hyacinthides, i. e. Hyacinthi filiae (vel nymphae), non conveniunt Hyacintho Apollineo, Apollinis *ἐρωμένῳ*, qui puer mortuus est; neque in cultu Amyclaeo usquam Hyacinthides commemorantur; nonnisi in Attica adsunt.

---

1) l. l. p. 58, 113, 141.

2) Locorum, ubi Hyacinthi nomen adhuc reperitur, enumerationem v. apud Pauly-Wiss. s. v.

Olim igitur Hyacinthus deus cum Hyacinthidibus in Hyacintho monte colebatur; quae necessitudo inter Hyacinthum et Hyacinthides intercesserit — utrum dei filiae an comites fuerint — in medio erit relinquendum. Hyacinthus ipse magis magisque oblivione obrutus est et locum Dionyso cessisse videtur, qui postea in eodem monte templum habuit [1]). Hyacinthidum cultus tamen permansit et denique Athenas translatus est, ubi usque ad Philochori aetatem una cum Dionyso colebantur; Philochorus enim tradidit sacra abstemia factitari *Διονύσῳ τε καὶ ταῖς Ἐρεχθέως θυγατράσι* (fr. 31).

Athenis hunc cultum habitum esse Philochorus quidem non addit, sed haec verba Ciceronis docere possunt (de nat. deor. III 19, 50): „Atque in plerisque civitatibus intellegi potest augendae virtutis gratia .... virorum fortium memoriam honore deorum immortalium consecratam. Ob eam enim ipsam causam Erechtheus Athenis filiaeque eius in numero deorum sunt. Itemque Leontidum est delubrum Athenis, quod Leocorion nominatur".

Idem efficitur e loco Apollodori, iam supra [2]) laudato, ubi Hyacinthides apud Geraesti tumulum a patre, qui Lacedaemone Athenas commigravisset, iugulatae esse dicuntur; quod indicat eas ibidem cultas fuisse. Earum delubrum in arce fuisse suspicatur Escher apud Pauly—Wiss. VI 408; idem statuit Fr. Schwenn [3]). Unde habeant, non addunt. In qua parte urbis Geraesti Cyclopis tumulus fuerit, hodie ignoramus.

Itaque Athenienses in urbe sua virgines quasdam una

1) v. Gruppe, Gr. Myth. p. 46.

2) v. p. 29.

3) Die Menschenopfer bei den Griechen und Römern p. 131: „sie wurden auf der Burg in Athen zusammen mit oder wie Dionysos verehrt".

cum Dionyso colebant, quas Hyacinthides vel breviter *παρθένους* [1]) vocabant. Veteris autem necessitudinis, quae Hyacintho cum Attica olim intercedebat, plane ignari summopere anquirebant, quam ob rem virgines illae sub Hyacinthidum nomine Athenis colerentur.

Duas vias ingressi sunt ad hanc difficultatem solvendam. Unum tantum Hyacinthum noverant, Peloponnesium. Excogitaverunt igitur fabulam supra iam commemoratam [2]), quam legimus apud Apollodorum (III 15, 8), de Hyacintho Spartano Athenas migrante et filias pro Atheniensium urbe ad Geraesti tumulum sacrificante neque gravati sunt puero ab Apolline dilecto complures filias assignare [3]).

Attamen hic modus explanandi, quomodo Hyacinthides, i. e. Hyacinthi Lacedaemonii filiae, Athenis in deorum numero haberi possent, non semper satisfecit Atheniensibus. Inde a tempore, quo aemulatio inter Athenienses et Lacedaemonios in dies crescebat, quae in odium acerbissimum versa tandem bellum cruentum procreaverat, Hyacinthi filiabus nullus iam in Attica locus erat relictus. Earum originem Lacedaemoniam infitiari coeperunt omnemque necessitudinem cum Hyacintho deo Peloponnesiaco dissolverunt atque ita orta est altera illa versio, virgines E r e c h t h e o natas esse, quae ideo Hyacinthides essent vocatae, quia in colle Hyacintho olim a patre essent mactatae. Hanc versionem a Phanodemo traditam legimus apud Suidam s. v. *Παρθένοι* (Phanod. fr. 3): *Τὰς Ἐρεχθέως θυγατέρας οὕτως ἔλεγον καὶ ἐτίμων .... Ἐσφαγιάσθησαν δὲ ἐν τῷ Ὑακίνθῳ καλουμένῳ πάγῳ ὑπὲρ τῶν Σφενδαλέων. Διὸ καὶ οὕτως καλοῦνται παρθένοι Ὑακινθίδες,*

---

1) v. infra.

2) v. p. 29.

3) Praeter Apollodorum etiam Lycurgus et Hyginus Hyacintho Spartano filias tribuerunt, v. p. 30.

καθάπερ μαρτυρεῖ Φανόδημος ἐν τῇ πέμπτῃ Ἀτθίδι, μεμνημένος τῆς τιμῆς αὐτῶν.

Quae explanatio e patriae caritate nata atque quinto saeculo exeunte consulto elaborata [1]) haud sane probabilis erat neque ullam geographiae rationem habebat, contendens regem Atheniensium filias suas sacrificasse non in ipsa urbe, sed in colle in prorsus diversa Atticae parte sito. Nimium huic versioni tribuit Nilsson neque Atthidographi consilium perspexit, ex eius verbis concludens virgines revera in Hyacintho colle sepulchrum habuisse ibique inferias eis allatas esse [2]).

Imprimis Atthidographorum erat hanc fabulam „nationalem" propagare, quod Phanodemum fecisse adhuc videmus. Nequaquam igitur Wellmannum sequimur, qui coniecit versionem Apollodoream ex Clidemi Atthide profluxisse [3]). Hyacinthidum origine Laconica (falso eis tributa) semel obscurata et nodo cum Erechtheo in maiorem patriae gloriam semel conexo, facile intellegimus non multos adstipulatos esse Euripidi, fingenti τὰς Ἐρεχθέως θυγατέρας Ὑάδας γενέσθαι τρεῖς οὔσας (schol. Arati ad vs. 172). Poetam ipsum in fine dramatis sui apotheosin quandam virginum requirentem hunc catasterismum commentum esse, verisimile est. Nemo

---

1) Primum eam emergere videmus apud Phrynichum in Monotropo, quae fabula anno 414 acta est, ἐν ἀκμῇ belli Peloponnesiaci.

2) Griechische Feste p. 140: „Die attischen Hyakinthides, die mit den Töchtern des Erechtheus identifiziert werden, wurden auf dem Hügel Hyakinthos für die Rettung des Vaterlandes geschlachtet; d. h. sie lagen dort begraben und hatten dort einen Totenkult, wie die Worte μεμνημένος τῆς τιμῆς αὐτῶν andeuten."

3) „Fortasse eidem Clidemo fabula de Hyacinthi filiabus (cf. Apoll. III 15, 8, 3) quam medio quarto saeculo notam fuisse ex Harp. s.v. Ὑακινθίδες apparet, debetur". (Wellm. de Istro Callim. p. 43).

praeterea — quod scimus — tradidit Hyades esse easdem atque Erechthei filias [1]).

Relinquitur ut observemus fuisse qui idem, quod de Erechthidis cognovimus, de Cecropis filiabus tradant. Sic legimus apud Ulpianum in Demosth. De falsa legatione t. 5, p. 117, B: *Ἄγραυλος καὶ Ἕρση καὶ Πάνδροσος θυγατέρες Κέκροπος, ὥς φησιν ὁ Φιλόχορος. Λέγουσι δὲ, ὅτι πολέμου συμβάντος τοῖς Ἀθηναίοις, ὥστε Εὔμολπος ἐστράτευσε κατ' Ἐρεχθέως, καὶ μηκυνομένου τούτου, ἔχρησεν ὁ Ἀπόλλων ἀπαλλαγήσεσθαι, ἐάν τις ἀνέλῃ ἑαυτὸν ὑπὲρ τῆς πόλεως. Ἡ τοίνυν Ἄγραυλος ἑκοῦσα αὐτὴν ἐξέδωκεν εἰς θάνατον. Ἔρριψε γὰρ ἑαυτὴν ἐκ τοῦ τείχους. Εἶτα, ἀπαλλαγέντος τοῦ πολέμου, ἱερὸν ὑπὲρ τούτου ἐστήσαντο αὐτῇ, παρὰ τὰ προπύλαια τῆς ἀκροπόλεως.*

Hic igitur de una ex Cecropis filiabus idem fere narratur quod et apud Euripidem et in Phanodemi Atthide Erechthei filiae attributum vidimus.

Vulgo haec omnia, quae ex Ulpiano attuli, Philochoro adiudicantur [2]). Quod si verum esset, non solum Philochorus Phanodemo oblocutus esset — quod sane facere potuit — sed etiam frustra quaerimus, quale facinus divino honore dignum commemorare potuisset de Erechthidis, si non illae, sed Aglaurus in bello contra Eumolpum gesto se morti obtulisset. Nam Philochorum de Aglauro et de Erechthei filiabus idem tradidisse incredibile est. Accedit quod ipsa

---

1) Robert tamen in vase quodam Attico agnoscit „die als Hyaden heroisierten Erechtheustöchter" (Archäol. Märchen = Philol. Unters. X p. 186 sq.).

Hyades et Hyacinthides saepe inter se confusas esse propter nominum similitudinem mirum non est. Accedit quod Hyades quoque cum Dionys cultu coniunctae erant. Iniuria Maass *Ὑάδες* breviter dictum esse pro *Ὑακινθίδες* contendit (Hermes XXV p. 406 A.).

2) Sic e. g. ipse Muellerus, qui in indice nominum et rerum s. v. Agraulus haec habet: „pro patria volens morti sese dedit, Philoch. 14." Item Preller-Robert I 201, alii.

Ulpiani verba, dummodo accurate ea inspicias, adhuc indicare videntur hanc versionem non e Philochoro provenire. Vocabula enim: „ὥς φησιν ὁ Φιλόχορος" ideo ad praecedentia solum pertinere putamus, quia, si Ulpianus sequentia quoque ex eodem Atthidographo sumpsisset, sine dubio scripsisset non: Λέγουσι δὲ, sed Λέγει δὲ. Quicunque illi, qui haec „λέγουσι", fuerunt, Philochorus in eorum numero fuisse non videtur. Si haec recte disputavi, fieri non potest, quin Ulpiani titulus etiam plura continuerit quam nunc legimus, nam eum Philochorum tantummodo citasse ad probandum Aglaurum et Hersen et Pandrosum filias Cecropis fuisse — quod nemo umquam negavit — verisimile non est. Fortasse exciderunt post nomen Κέκροπος verba διεφθάρησαν ὑπὸ τοῦ δράκοντος cf. [Apollod.] Bibl. III, 14, 6: καὶ ὡς μὲν ἔνιοι (Philochorus?) λέγουσιν ὑπ' αὐτοῦ διεφθάρησαν τοῦ δράκοντος. Ovidius — Met. II 559: timidas vocat una sorores | Aglauros, nodosque manu diducit — maiorem culpae partem Aglauro tribuit.

Item filiae Cecropis et Erechthei inter se confunduntur ab Hygino, qui Astron. II 13 p. 446 Erichthonii natales enarrans haec habet: „eum dicitur Minerva in cistella quadam ut mysteria contectum ad Erechthei filias detulisse et his dedisse servandum" e. q. s. Fortasse Robertus [1]) iure textum hic vitiosum esse statuit et cum eo corrigendum est: Cecropis filias, eo magis quod idem Hyginus alio loco (fab. 166) munus cistellae servandae Cecropis filiabus datum fuisse tradit. Ermatinger [2]) tamen monet in vase Cornetano [3]) tres Cecropidas (nomina adscripta sunt) una cum Erechtheo

---

1) Eratosth. Catast. Rel. p. 101.

2) Die Att. Autochthonensage b. a. Eur. p. 69.

3) Depictum est Mon. X T. 39, descriptum a v. d. Flasch Ann. 1877 p. 418 sqq.

apparere, qui nonnisi tamquam earum pater adesse possit. Quod si ita se habet, videmus filias Cecropis et Erechthei si non ab Hygino, at certe in vase laudato inter se confundi.

Idem denique factum est in scholio ad Apollon. Rhod. I, 211, ubi primum commemoratur *'Ωρείθυια Ἐρεχθέως θυγάτηρ*, at paulo post legimus in eodem scholio: *Κέκροπος δὲ Κρέουσα, 'Ωρείθυια, Πρόκρις.*

Saepe igitur Cecropidas et Erechthidas alteras pro alteris substitutas esse vidimus neque miramur, siquidem ipsos patres Cecropem et Erechtheum in historia fabulari partes parallelas egisse notissima res est.

Praeiudicium, quod in praefatione de Atthidographorum scribendi ratione pronuntiavimus in Erechthei mythi tractatione magnam certe partem affirmatum videmus.

Heroi indigenae eiusque bello pro patria cum Eumolpo gesto debitum tribuerunt honorem. Quamquam in summa fabulam sicut a maioribus tradita erat in Atthides suas receperunt, si patriae gloria postulabat vel si aliqua ratio ita ferebat, mythum paululum mutare aut mutationem iam a poeta quodam aliove auctore institutam in usum suum convertere minime gravati sunt.

Sic vidimus eos grato animo arripuisse facultatem, quam eis Euripidis ingenium obtulerat, abolescendi memoriam belli olim inter Athenienses et Eleusinios gesti et Eumolpi Eleusiniorum ducis ab Erechtheo profligati et necati, memoriam Eleusiniis sociis et amicis, quin paene dicam concivibus suis, odiosam et unanimitati Atticae infestam.

Intelleximus eos amore patriae et Laconum odio ductos ardenter propagavisse fabulam, primum apud Phrynichum obviam, indicantem Hyacinthides, quae Athenis colebantur, non Hyacinthi Spartani, sed Erechthei filias fuisse.

Denique nimiae subtilitatis exemplum dedit Phanodemus diligenter omnes Erechthei filias conquirens et religiose computans non tres — ut Euripides cantaverat — sed tantummodo duas ex Erechthei filiabus innuptas mansisse et pro patria mortem obire potuisse.

CAPUT II.

Orithyia, Procris, Creusa.

Singulas Erechthei filias Orithyiam, Procrim, Creusam totis tragoediis materiam praebuisse memoriae quidem traditum est, sed frustula, quae iniqua fortuna nobis servavit, tam sunt parca et futilia, ut vix dramatum titulos, nedum argumenta, nobis revelent.

Orithyiae Aeschyleae quinque exstant versus, [1]) num Sophocles Orithyiam scripserit, ne constat quidem. [2])

Procridis fatis drama dedicavisse Sophoclem novimus, e quo tamen nonnisi tria verba ad nos pervenerunt. Neque aliunde multa lux afferri potest, quae densas tenebras, quibus huius dramatis argumentum involutum iacet, discutiat.

Fabula de Cephalo et Procride ex tantis tamque diversis partibus constat, quae ita coniunctae atque inter se mixtae sunt, ut vix singulas partes discernere possimus. Hoc tamen Wilamowitz, Wellmann, Toepffer in disputationibus suis [3])

1) Nauck p. 89.
2) Nauck p. 297.
3) Quorum argumenta cum recoquere me taedeat neque quod iis addam habeam, vid. Wilam. Hermes XVIII 424; Wellmann, de Istro Callim. 69; Toepff. A. G. 257 sqq.

cum magna veri specie statuerunt Procridis cum Pteleonte adulterium, Cephali parricidium eiusque iudicium in Areopago, Procridis fugam in Cretam insulam, narrationem de cane et hasta ei a Minoe donatis [1]), historiam denique de vulpe Teumessica antiquissima fabulae elementa fuisse, quae hoc modo inter se cohaerere potuerunt:

Procris in adulterio cum Pteleonte a Cephalo, marito suo, deprehensa Cretam ad Minoem fugit, a quo canem illum pernicem et iaculum a scopo numquam aberrans dono accipit. Cum his donis Athenas reversa et Cephalo reconciliata atque cum eo in venando occupata imprudentis mariti iaculo transfixa interficitur. Quare Cephalus ab Areopagi iudicibus condemnatur et in exilium mittitur.

Sic fere fabula narratur [2]) ab Apollodoro (III 15, 1) et

1) Nimiae subtilitati indulsit Rapp (Roscher II 1093), coniciens Istrum primum Procridis fugam in Cretam insulam et Minois personam in Cephali fabulam inseruisse, Callimachi, magistri sui, exemplo permotum, qui in hymno in Dianam Procrim una cum duabus nymphis Creticis in Dianae comitibus enumeret. At si accuratius Callimachi hymnum inspicias, apparebit Procrim minime una cum duabus illis nymphis Cretensibus a poeta introduci. Postquam enim poeta Cretenses illas Britomartin et Upin commemoravit, sic pergit (vs. 206):

καὶ μὴν Κυρήνην ἑταρίσσαο, τῇ ποτ' ἔδωκας
αὐτὴ θηρητῆρε δύω κύνε, τοῖς ἔνι κούρη
Ὑψηὶς παρὰ τύμβον Ἰώλκιον ἔμμορ' ἀέθλου.
καὶ Κεφάλου ξανθὴν ἄλοχον Δηιονίδαο
πότνια σὴν ὁμόθηρον ἐθήκαο.

Sequuntur nomina Anticleae et Atalantes. Nequaquam igitur Procris hic cum nymphis Cretensibus arte coniungitur; Dianae comites enumerantur, primum duae ex Creta, deinde quattuor aliunde ortae, in quibus Procris secundum locum obtinet.

Praeterea miramur, cur Ister, si in Procridis fatis enarrandis hic locus Callimacheus ei ante oculos versatus esset, non potius finxisset, Procrim canem hastamque non a Minoe, sed ab ipsa Diana accepisse, sicut apud Callimachum Cyrene quoque duos canes venaticos ab ipsa dea dono accipit (v. 206 sq.).

2) Cephali parricidium et Areopagi iudicium iam Hellanicus tractaverat, ut testatur Schol. ad Eur. Orest. 1648.

Hygino (Astron. II 35), qui ab Atthidibus hanc vetustam mythi versionem mutuati esse videntur. Ipse saltem Hyginus de cane Minois et de vulpe agens ex Istro haec se habere profitetur, qui non solum fabulam canis et vulpis, sed etiam Cephali iudicii tractaverat, ut videmus ex fr. 19 (Harpocr. s. v. *Ἐπενεγκεῖν δόρυ*): *Ἴστρος δὲ ἐν τῇ συναγωγῇ τῶν Ἀτθίδων περὶ Προκρίδος καὶ Κεφάλου εἰπὼν γράφει ταυτί· Τινὲς δὲ ἐπὶ τοῦ τάφου δόρυ καταπεπηχότα τὸν Ἐρεχθέα φασὶ πεποιῆσθαι παρακαταθέμενόν τε καὶ τὸ πάθος σημαίνοντα, διὰ τὸ νόμιμον εἶναι τοῖς προσήκουσι τοῦτον τὸν τρόπον μετέρχεσθαι τοὺς φονέας.*

Contra Rapp [1]) ex his verbis effecit, Apollodori narrationem non ex Istro haustam esse, „bei welchem die Erzählung von Prokris' Tod mit dem feindseligen Auftreten des Erechtheus geschlossen zu haben scheint, der bei der Beerdigung die Lanze ins Grab stiess, um es damit als das eines *βιαίως ἀποθανών* zu bezeichnen". Plane me fugit, unde v. d. colligat *τὸ καταπῆξαι δόρυ ἐπὶ τοῦ τάφου* f i n e m Istri narrationis effecisse. Immo hoc facinore minaci Erechtheus symbolice indicat se interfectorem filiae, quae morte violenta perierat, persecuturum esse et nisi ipsa ultio additur, tota historia f i n e s u o c a r e t. Sine dubio ergo Cephali damnationem Ister adiecit atque hac in re quoque Apollodoro exemplo fuit.

Ad hanc igitur fabulae formam antiquam se applicuit Ister, quamquam iam multo ante versio plane diversa exstabat, quae primum apud Pherecydem (fr. 77) occurrit et aetate posteriore traditio vulgata facta est. [2])

---

1) Roscher II 1094.

2) Idem fere redit apud Ovid. Met. VII 687 sqq., Hyginum fab. 189, Antoninum Liberalem 41.

Hic omissa sunt iudicium Areopagiticum et Procridis in Cretam fuga; non Pteleon Procrim adulterat, sed ipse maritus θέλων τῆς γυναικὸς ἀποπειρᾶσθαι ἔρχεται εἰς ἀποδημίαν ἐπὶ ἔτη ὀκτὼ καταλιπὼν αὐτὴν ἔτι νύμφην οὖσαν. ἔπειτα κατακοσμήσας καὶ ἀλλοειδῆ ἑαυτὸν ποιήσας ἔρχεται εἰς τὴν οἰκίαν ἔχων κόσμον καὶ πείθει τὴν Πρόκριν δέξασθαι τοῦτο καὶ συμμιγῆναι αὐτῷ. Postquam Cephalus detexit, quis sit, tamen cum uxore in gratiam redit et venandi causa proficiscitur. Quod cum crebrius faceret, uxori suspicio nascitur, ne cum alia muliere consuescat. Deinde narratur, quomodo Cephalus uxorem suam zelotypia sollicitatam iaculo invitus interficiat atque sepeliat πολυτελῶς μεταπεμψάμενος τὸν Ἐρεχθέα.

Unde haec versio recentior quidem, sed et ipsa satis vetusta, provenerit, nescimus neque facile dixeris, utram Sophocles in formam tragicam redegerit. Hoc quidem Welckero [1]) concedendum est, ex hac Pherecydis fabula multo facilius tragoediam exstrui posse, quam e materia varia et dissipata narrationis Apollodori. Vix enim tibi fingas, quomodo ea, quae in Attica gerebantur, cum Procridis apud Minoem commoratione et cum canis illius historia in eodem dramate coniungi potuerint et quomodo haec omnia unius dramatis argumentum perpetuum effecerint.

Siquidem apud Pherecydem ea desunt, quibus neque in dramate ullus est locus, fortasse conicere licet Sophoclem hanc versionem potissimum in usum convertisse et in tragoediam transfiguravisse, eum igitur, sicut Pherecydem, Pteleontis adulterium et Cephali iudicium neglexisse; unde facilius intellegi posset haec fabulae elementa apud Ovidium, Antoninum Liberalem, alios omnes, qui postea fabulam

---

1) Gr. Trag. I 388.

tractaverunt (praeter Istrum et qui ex Istro hauserunt), frustra quaeri, quod satis mirum esset, si Sophocles ea in scena proposuisset et in dramate suo posteris tradidisset. Quae si ita se habent, tragoediae auctoritas hac in re apud Atthidographos non adeo valuit, ut eam secuti versionem recentiorem pro vetusta illa substituerint. At haec omnia incerta manere libenter concedo.

Aliquanto stabiliore loco procedit is, qui Creusae vestigia in tragoedia legere sibi proponit; cui viam monstrare non poterit Sophocles, cuius dramatis (sive Ion sive Creusa erat inscriptum) ullam veram imaginem capere parvulae reliquiae non sinunt. Licet sane cum Welckero, [1]) Toepffero, [2]) aliis suspicari argumentum huius fabulae idem fuisse atque Euripidis Ionis, sed aliquantum inter eas interfuisse necessarium est, ne alter poeta alterum exscripsisse spectatoribus videretur.

Siquidem Procrim Sophocleam „innumerabilis annorum series et fuga temporum" a nostro conspectu prorsus removit, reicimur ad Euripidis Ionem, cuius fabulae argumentum cuivis notum hoc loco exscribere supervacaneum est. Sufficit in memoriam revocare, omnem Ionis cum Xutho consanguinitatem a poeta solutam esse atque eum Apollinis [3])

---

1) Gr. Trag. I 391 sqq.

2) A. G. 268.

3) Apollinem Patroum, omnium Ionum patronum, a poeta designari iam docet Plato (Euthyd. p. 302*d*): *Ἀπόλλων πατρῷος διὰ τὴν τοῦ Ἴωνος γένεσιν*. Cf. praeterea schol. ad Arist. Nub 1468: *Πατρῷος Ζεὺς καὶ Ἀπόλλων ἐν Ἀθήναις τιμῶνται, ὁ Ζεὺς μὲν .... Ἀπόλλων δέ, ὅτι Ἐρεχθέως θυγατέρα ἔγημε τὴν Κρέουσαν, ἐξ ἧς γίνεται ὁ Ἴων*. Item schol. ad Aves 1527: *πατρῷον δὲ τιμῶσιν Ἀπόλλωνα Ἀθηναῖοι, ἐπεὶ Ἴων, ὁ πολέμαρχος Ἀθηναίων, ἐξ Ἀπόλλωνος καὶ Κρεούσης τῆς Ξούθου ἐγένετο*. (Corrige aut *τῆς Ἐρεχθέως* aut adde post *Ξούθου*: „*γυναικός*").

ex Creusa filium factum esse, Xuthum tamen Aeolo, Iovis filio, natum pro auxilio, quod Atheniensibus in bello contra Chalcodontidas Euboïcos tulit, Creusam in matrimonium accepisse simulque regnum Atticae obtinuisse.

Quatenus Ionis divinitas ab ipso Euripide excogitata sit, nunc in medio relinquendum videtur. Nemo quidem ante Euripidem hanc Ionis originem commemoravit, sed tamen iam antea Apollinem Ionis patrem audivisse censent Ed. Meyer [1]) et Ermatinger. [2])

Res autem utut se habet — sive Euripides Ionis originem divinam creavit sive iam ab aliis creatam divulgavit — haec versio Euripidea numquam interiit semperque vixit in hominum memoria, non tamen — ne apud Athenienses quidem — obscuravit vetustiorem illam famam, quae non solum Ioni patrem mortalem tribuit, sed etiam multis aliis partibus ab Euripidea abhorret. Operae videtur pretium varias sententias cognoscere atque investigare, quos auctores secum traxerit Euripides.

Initium faciamus a Philochoro, e cuius Atthide haec nobis servavit Harpocration s. v. *Βοηδρόμια* (Phil. fr. 33): *Ἑορτή τις Ἀθήνησιν οὕτω καλουμένη, ἥν φησι Φιλόχορος ἐν δευτέρᾳ νενομίσθαι, ἐπειδὴ Ἴων ὁ Ξούθου ἐβοήθησε σπουδῇ (πολλῇ) πολεμουμένοις Ἀθηναίοις ὑπὸ Εὐμόλπου τοῦ Ποσειδῶνος, Ἐρεχθέως βασιλεύοντος.*

Haec omni ex parte ab argumento Euripideo discrepare primo obtutu apparet.

Ion non Apolline, sed Xutho natus est; non Xuthus, sed ipse Ion Erechtheo auxilio venit; communiter bellum gerunt cum Eumolpo, non cum Chalcodontidis Euboicis, ut in Euripidis dramate (Ion 59 sq.):

1) Forschungen zur alten Geschichte I 145.
2) Die Att. Autochth. sage bis auf Eur. 120 sq.

ἦν ταῖς Ἀθήναις τοῖς τε Χαλκωδοντίδαις,
οἳ γῆν ἔχουσ' Εὐβοΐδα, πολέμιος κλύδων.

Duabus his in ultimis rebus Philochorum famam vulgatam reddidisse, Euripidem autem novasse perspicuum est.[1]) Herodotus enim iam auxilii Atheniensibus ab Ione in bello lati mentionem fecerat (VIII 44): *Ἴωνος δὲ τοῦ Ξούθου στρατάρχεω γενομένου Ἀθηναίοισι ἐκλήθησαν ἀπὸ τούτου Ἴωνες.* Ut igitur iam Herodotus Ionis auxilium commemorat, ita de Xutho Atheniensibus opem ferente ante Euripidem numquam audimus. Praeterea Euripides toto dramatis decursu mutare cogebatur, ut qui Ioni suo has partes bellicas tribuere non posset simulque causam Creusae cum Xutho peregrino matrimonii quaereret. Aptissime igitur Xuthum pro Ione substituit et eum pro beneficio in Erechtheum collato regis filiam in matrimonium accepisse finxit.

Euripidem Xuthum non Eumolpi, sed Chalcodontidarum adversarium inducendo a traditione vulgata recessisse consensus omnium auctorum (Philochori, Strabonis, Pausaniae etc.) satis probat. Ermatingerus[2]) putat poetam ideo Athenienses alii hosti opposuisse, ne spectatoribus bellum cum Eleusiniis, sociis suis, ante oculos poneret. Rogare tamen velim, cur poeta hunc scrupulum non eodem remedio amoverit atque in Erechtheo sua iam fecerat, scilicet Eleusinios e fabula expellendo et Eumolpum merum Thracem reddendo.[3]) Quod Philochorus, quem Euripide auctore Eumolpum Eleusiniorum ducem non agnoscere supra vidimus,[4]) hic quoque fecit. Dicit enim tantummodo:

---

1) Quae argumenta Toepfferum ad opinionem contrariam adduxerint, me fugit (v. Att. G, 261 A. 2).

2) Die Att. Autochth. Sage 131.

3) cf. p. 15 sqq.

4) cf. p. 27.

πολεμουμένοις 'Αθηναίοις ὑπὸ Εὐμόλπου τοῦ Ποσειδῶνος, Eleusinios omittens, quos commemorant reliqui auctores fere omnes.

Quod autem Euripides remedium in Erechtheo fabula adhibitum hic satis non habuit, sed bellum prorsus diversum pro Eleusinio substituit, inde sequi videtur, ut fama Ionis cum Erechthei copiis Eumolpum fundentis Euripidis temporibus adeo iam percrebruisset Atheniensibusque tam cara esset,[1]) ut poeta hunc honorem Ioni eripere et Xutho assignare non ausus sit; quam offensionem vitavit fingendo Xuthum alio in bello Erechtheo opem tulisse.

Cur potissimum Chalcodontidas selegerit — quo nomine inde ab Homero (B 541) Euboeae incolae designantur —, primo aspectu nos fugere videtur. Sed ipsum poetam hoc bellum non excogitavisse et iam antea fabulam quandam de bello inter Athenas et Euboeam gesto exstitisse credibile est. Aliud vestigium huius fabulae deprehendo in scholio Apollonii Rhodii (ad I vs. 97), ubi legimus Alconem, Erechthei filium, cum Chalciopa filia sua in Euboeam fugisse atque ἐξαιτοῦντος τοῦ πατρὸς οὐκ ἐκδοῦναι τοὺς Χαλκιδέας. Hanc recusationem bellum inter Athenas et Euboeam procreavisse, facile mente suppletur. Chalcis iam anno 507 ab Atheniensibus subacta erat; itaque fortasse haec fabula antiqua memoriam veterum simultatum inter duas civitates continet.

Ipse quoque Tetrapolidis, Xuthi regni,[2]) situs inter Athenas et Euboeam Euripidem inducere potuit, ut Chalcodontidas Atheniensibus, Xuthi auxilio bellum gerentibus, opponeret.

---

1) Totum enim Apollinis Boedromii cultum ob hanc opem ab Ione latam institutum esse credebant; videatur praeter Philochorum l. l. Pherecydes in F. H. G. p. 99.

2) v. p. 49 sq.

At non solum historia antiqua et geographia, sed etiam res recentissime actae poetae animum ad Euboeam vertisse videntur. Iisdem enim diebus, quibus Ionem fabulam scribebat, discordiam et inimicitias inter Athenienses et Euboeos fuisse probabile est.

Nam cum magna veri specie demonstratum est, Ionem fabulam paulo ante Aristophanis Lysistratam anno 412 vel 413 actam esse. [1]) Euboea quidem aestate demum anni 411 Peloponnesiis adiuvantibus ab Athenis descivit, sed hanc calamitatem Atheniensibus minimum per annum et sex menses imminuisse, priusquam incubuit, novimus ex Thucydide (VIII 5), qui tradit Euboeos iam anni 412 initio legatos de defectione ab Atheniensibus ad Agin, regem Lacedaemoniorum misisse, qui eis persuasit, ut tempus magis opportunum opperirentur.

Quae simultates aliquamdiu imminentes [2]) poetam quoque in Erechthei Xuthique adversariis deligendis regere potuerunt.

Denique Atthidographos Ioni Xuthum patrem tribuisse et hac quoque in re Euripidis rationem non habuisse e Philochoro cognoscimus. Quorum si consilium perspicere volumus, primum erit statuendum, quis et unde Xuthus ille sit.

Vocabula ξουθός et ξανθός[3]) dialectice tantummodo inter se

1) cf. Enthoven, De Ione fabula Euripidea, Bonn 1880, qui inter alia summo iure ostendit Aristophanem Panis illud antrum, ubi Creusa cum Apolline olim erat congressa, tamquam locum Myrrhinae et Cinesiae amoribus dignum eligentem, respicere Ionem tragoediam nuper actam (cf. Ar. Lys. 911 c. annot. in ed. Leeuw.) Quid sibi velint verba Wilamowitzii (Hermes XVIII 242): „Die Kinesiasperiode der Lysistrata auf ihn zu beziehen, richtet sich selbst", non expedio.

2) v. Ed. Meyer, Gesch. d. Alt. IV p. 598.

3) Multi ξανθόν et ξουθόν cum Sanscrit. „cand" et Lat. „candere" cohaerere perhibent, quorum opinio adiectivorum significatione confirmari videtur. Ambo

differre atque Apollinis epitheta fuisse, Apollinem et Xuthum igitur primitus unum et eundem fuisse deum, utrum recte coniecerit O. Muellerus [1]) necne, mihi quidem non liquet.

Quidquid id est, Philochori temporibus hanc coniunctionem iamdudum solutam et ex hominum memoria elapsam fuisse Xuthumque propriam suam personam gessisse, non est quod moneam.

Quas partes Attici Xutho tribuerint, optime cognoscitur e Strabone, qui haec narrat (VIII p. 383): *φασὶ δὲ Δευκαλίωνος μὲν Ἕλληνα εἶναι, τοῦτον δὲ περὶ τὴν Φθίαν τῶν μεταξὺ Πηνειοῦ καὶ Ἀσωποῦ δυναστεύοντα τῷ πρεσβυτάτῳ τῶν παίδων παραδοῦναι τὴν ἀρχήν, τοὺς δ' ἄλλους ἔξω διαπέμψαι ζητήσοντας ἵδρυσιν ἕκαστον αὑτῷ. ὧν Δῶρος μὲν τοὺς περὶ Παρνασσὸν Δωριέας συνοικίσας κατέλιπεν ἐπωνύμους αὑτοῦ, Ξοῦθος δὲ τὴν Ἐρεχθέως θυγατέρα γήμας ᾤκισε τὴν τετράπολιν τῆς Ἀττικῆς, Οἰνόην Μαραθῶνα Προβάλινθον καὶ Τρικόρυνθον. τῶν δὲ τούτου παίδων Ἀχαιὸς μὲν φόνον ἀκούσιον πράξας ἔφυγεν εἰς Λακε-*

---

haec vocabula non tam certum c o l o r e m quam c a n d o r e m vel f u l g o r e m indicasse videntur. Vulgo quidem *ξανθός* vertitur: flavus, quae interpretatio tamen ab omni parte vera non est; Aristoteles saltem, qui solem *ξανθόν* vocat et Plato, qui dicit: *λαμπρόν τε ἐρυθρῷ λευκῷ τε μειγνύμενον ξανθὸν γέγονε* primo loco splendendi notionem illustrant. De altero vocabulo idem statuere licet e verbis Hesychii, qui *ξανθόν* tantummodo de colore dictum accipiens haec habet s. v. *ξουθός*: *οὐ μόνον ξανθός, ἀλλὰ καὶ λευκὸς καὶ πυρρός*, i. e: non solum flavus, sed etiam c a n d i d u s et fulvus. Candendi notio optime convenit huic adiectivo, quod poetae attribuerunt equigallo illi fabuloso, api eiusve alis, lusciniae eiusve rostro, aquilae alis, Dioscurorum alis (locos collegit v. Leeuwen ad Arist. Av. 213 sq.). Sic demum intellegimus vocabulum interdum valuisse i. q. *ταχύς*, celer, e. g. apud Athenaeum, ubi adhibetur de ventis (Athen. p. 608 D). Simili modo adiectivum „*αἰόλος*" duplicem notionem fulgoris et celeritatis coniungit. Haec candendi notio egregie quidem quadrat in Apollinem, „lucidum caeli decus", qui Pind. Ol. VII 32 *χρυσοκόμας* audit. At *ξουθός* Apollo nusquam — quantum hodie scimus — vocatur.

1) Prol. z. Myth. p. 273 sq. Postea multi eum secuti sunt, totidem impugnaverunt; locos collectos vid. apud Ermating., Att. Aut. Sage 120.

δαίμονα καὶ Ἀχαιοὺς τοὺς ἐκεῖ κληθῆναι παρεσκεύασεν, Ἴων δὲ τοὺς μετ' Εὐμόλπου νικήσας Θρᾷκας οὕτως ηὐδοκίμησεν ὥστ' ἐπέτρεψαν αὐτῷ τὴν πολιτείαν Ἀθηναῖοι.

Idem aliis verbis legitur apud Cononem (Narrat. XXVII), qui cum Strabone ex eodem fonte hausisse videtur.[1] Utrumque hic Philochori vestigia legisse dubitanter suspicati sunt Ed. Meyer[2] et G. Kirchner,[3] quorum coniectura eo vehementer corroboratur, quod Strabo ait Ionem vicisse „τοὺς μετ' Εὐμόλπου Θ ρ ᾷ κ α ς", cum alii omnes E l e u s i n i o s commemorent (Pausan. I 31, 3; VII 1, 5; Etym. M. s. v. Βοηδρομίων); qua in re nonnisi Atthidographorum auctoritatem agnoscere possumus.[4]

Philochorus igitur, si eius sententiam e Strabone supplere licet, tradidit Xuthum Hellene natum tetrapolim Atticam condidisse atque Erechthei filiam Creusam uxorem duxisse, filium autem eius Ionem avo materno contra Eumolpum auxilio venisse et pro gloria reportata regnum ab Atheniensibus accepisse.

Huius fabulae originem et incrementum etiamnunc perspicere possumus. Nam quod Xuthus tetrapolim condidisse dicitur, hoc nihil aliud significat, nisi Ionem ibi olim cultum fuisse. Quaerentes, quomodo Ion eo venisset, sponte finxerunt patrem eius Tetrapolim condidisse.

Prorsus eodem modo Xuthus in Achaiam profectum esse et ibi regnasse dicitur,[5] quia Iones ibi habitaverunt et heroem suum Ionem coluerunt. Ipsum Xuthum nemo curat; ubicumque inducitur, semper adest tamquam Ionis pater.

---

1) cf. Konon, Hoefer, Greifswald 1890, p. 48 sq.
2) Forschungen I 147.
3) Attica et Peloponnesiaca 16.
4) cf. p. 27.
5) Herod VII 94. Paus. VII 1. Apollod. I 7, 3.

Quod apertissime testantur Pausaniae verba (l. l.): *ἀφικομένῳ δὲ ἐς τὸν Αἰγιαλὸν καὶ οἰκήσαντι αὐτῷ μὲν ἐγένετο ἐνταῦθα ἡ τελευτή, τῶν δὲ οἱ παίδων* e. q. s.
In Aegialum venit, ubi nihil agit nisi mortem obire.

Itaque sicubi Xuthus habitasse dicitur, Ionem ibi cultum fuisse inde efficere licet. Facimus igitur cum Kirchnero,[1]) qui iam sibi persuaserat Tetrapolim veram Ionis Attici patriam fuisse ibique Ionidarum demum ponendum esse. Iones antiquitus Tetrapolim incoluisse Strabo quoque tradit, qui Aristotele auctore narrat *Ἴωνας τοὺς ἐκ τῆς Ἀττικῆς τετραπόλεως* Heraclidas Argos comitatos esse.[2])

Idem Kirchnerus sine dubio iure demonstravit Ionem ideo Apollinis filium dictum esse, cum nulla Atticae regio tanto Apollinis cultu excelleret quanto Tetrapolis. Cuius rei signa quaedam adhuc indicari possunt. Sic Tetrapolidis heros Maratho (vel Marathus), *ἀφ᾽ οὗ τῷ δήμῳ τὸ ὄνομά ἐστι,*[3]) apud Suidam Apollinis filius audit, s. v. *Μαραθών· τόπος Ἀθήνησιν ἀπὸ Μαράθου υἱοῦ Ἀπόλλωνος.*

Apollinis Delii templum Marathone fuisse, in quo haruspicina fieri solebat, quotiens theoria Delum erat mittenda, docet Philochorus.[4])

---

1) Att. et Pelop. 16.
2) Strabo VIII 374.
3) Paus. I 32, 4; cf. Att. et Pel. 55.
4) fr. 158 = Schol. Soph. O. C. 1047: *Λέγοι δ᾽ ἂν (ὁ Σοφοκλῆς) Πυθίας ἀκτὰς τὸν τοῦ Πυθίου Ἀπόλλωνος βωμὸν τὸν ἐν τῷ Μαραθῶνι, ὅθεν καὶ τὴν θεωρίαν ἔπεμπον. Ἱστορεῖ περὶ τούτων Φιλόχορος ἐν τῇ Τετραπόλει γράφων οὕτως· „Ὅταν δὲ σημεῖα γένηται παραδεδομένα ἐν τοῖς ἱεροῖς, τότε ἀποστέλλουσι τὴν θεωρίαν οἱ ἐκ τοῦ γένους, Πυθιάδα καὶ Δηλιάδα, ὁποτέρα ἂν καθήκῃ αὐτοῖς. Θύει δὲ ὁ μάντις, ὅταν μὲν τὰ εἰς Δελφοὺς πόμπιμα γένηται, καὶ θεωρία πέμπηται, ἐν Οἰνόῃ καθ᾽ ἑκάστην ἡμέραν ἐν τῷ Πυθίῳ· εἰ δὲ εἰς Δῆλον ἀποστέλλοιτο ἡ θεωρία, κατὰ τὰ προειρημένα θύει ὁ μάντις εἰς τὸ ἐν Μαραθῶνι Δήλιον.*

Huc igitur referendum videtur, quod Ion, heros Tetrapolitanus, Apollinis filius factus est. Iam supra [1]) diximus hanc Ionis cum Apolline consanguinitatem fortasse Euripidis mythopoeiam etiam antecedere. Genealogiam vetustiorem [2]) — ut vidimus — praetulerunt Atthidographi, tradentes Ionem, Xutho, Tetrapolidis conditore, natum Erechtheo, avo suo materno, inde auxilio properavisse, cuius rei in memoriam Boedromia instituta esse.

Haec fabula indicio esse potest, Boedromii Apollinis cultum institutum esse haud multo ante Solonis aetatem, postquam Tetrapolis ad societatem Atheniensem accessit atque tunc Apollinem Boedromium Dianae Agroterae esse adiunctum. [3]) Quamquam haec quaestio est difficillima, de qua agere longum est et ab hoc proposito alienum.

Restat ut observemus apud Euripidem in „Ione" Xuthum ab Erechtheo regnum accipere (vs. 578, 660) et Ionem Xutho succedere (vs. 578, 1571—1575). Quid autem de Erechthei filio fiat, non curat poeta, quamquam ipse eum tamquam regem futurum induxerat in „Erechthei" fine. Eiusmodi discrepantias in poeta reprehendere est poetam parum intellegere. Quae licentia tamen historicos et mythographos dedecet, qui inde ab Herodoto Ioni locum dignum concedere sedulo studuerunt statuendo eum primum Athe-

---

Καὶ ἔστιν ἱεροσκοπία τῆς μὲν εἰς Δελφοὺς θεωρίας ἐν τῷ ἐν Οἰνόῃ Πυθίῳ, τῆς δὲ εἰς Δῆλον, ἐν τῷ ἐν Μαραθῶνι Δηλίῳ." Corrige τὸν ἐν τῇ Οἰνόῃ et ἐν τῷ ἐν Μαραθ. Δηλίῳ.

1) v. p. 44.

2) Iam in catalogo Hesiodi Ionem tamquam Xuthi filium locum obtinuisse probabiliter coniecit Ed. Meyer, Forsch. z. alten Gesch. I p. 144 sq. Eandem genealogiam praeterea tradit Herod. VII 94, VIII 44, alii multi.

3) Mommsen, Heortol. 51 sq., 213.

niensium fuisse polemarchum vel stratarchen. Praeter Herodotum [1]) idem narrat Aristoteles, [2]) qui, agens de Athenarum republica ante Draconem, dicit regnum institutum vetustissimum esse, deinde polemarchum additum esse *διὰ τὸ γίγνεσθαί τινας τῶν βασιλέων τὰ πολέμια μαλακούς, ὅθεν καὶ τὸν Ἴωνα μετεπέμψαντο χρείας καταλαβούσης* e. q. s. Denique Pausanias quoque consentit, a quo Ion *ἐπὶ τοῦ πολέμου τοῦ πρὸς Ἐλευσινίους πολεμαρχῆσαι* dicitur. [3])

Hoc modo Ionem, quem in domum regiam inserere non poterant, digna sede collocaverunt.

Philochorum quoque in eorum numero fuisse, apertis quidem verbis nusquam legimus, sed non apparet, quo alio modo Atthidographi agere potuerint, nisi forte putas eos Ionem in regum seriem inserendo stemma regium turbavisse. Neque a vero nos abducat quod Strabo l. l. (i. e. Philochorus) [4]) ait Ionem ob victoriam de Eumolpo reportatam ab Atheniensibus *τὴν πολιτείαν* accepisse. Quo vocabulo neutiquam regnum significatur. Strabo autem neglegentius idem, quod alii polemarchiam nominaverunt, hoc loco in universum *τὴν πολιτείαν* (civitatis gubernationem) dixisse videtur. [5])

Itaque multas discrepantias inter Euripidem et Atthidum scriptores in praecedentibus statuimus, quae tamen nequaquam Euripidis auctoritatem, qua apud posteros usus est, detrectant. Detegere enim conati sumus causas, cur poetam

---

1) Her. VII 44.
2) Athen. Civ. 3, 2.
3) Paus. I 31, 3.
4) cf. p. 49.
5) Moneo contra Toepfferum, qui hunc Strabonis locum spectans scribit: „Zum Lohne für seine Hilfe soll Ion die athenische Königskrone erhalten haben." (Att. gen. p. 268, A. 2).

Pegaso suo habenas libere remittentem et Ionis fata audacter artis poeticae praescriptis adaptantem Atthidographi caute pedetemptimque in mythorum turba procedentes sequi non potuerint in mutanda fabula iam historiae et genealogiae Atticae intertexta ibique locum fixum et immotum tenente, quam sicut a maioribus acceperant posteris tradere debebant.

CAPUT III.

De Euripidis „Aegeo".

Eadem celeritate, qua Atheniensium urbs bellis Persicis velut e longo somno excussa claram se viderat et ex urbe rustica placidaque caput potentissimum Atticae terrae evaserat, mythologia Attica adhuc languida et obscura radices suas quoquoversus extendens fabulasque epichorias undique imbibens et ad se trahens crescere atque florere coepit.

Novum imperium domesticae gloriae sibi conscium heroem communem, quem omnes tamquam generis auctorem colerent, circumspiciebant Theseumque Neptuni filium poetae, artifices, mythographi tanto ardore celebraverunt totque facinoribus stupendis et magnificis alterum illum Herculem cumulaverunt, ut οὐκ ἄνευ γε Θησέως apud posteros in proverbio fuerit.

Scenam tragicam multum valuisse ad laudem herois ἀττικωτάτου confirmandam et illustrandam facile intellegimus. Et Sophocles et Euripides spectatoribus iuvenem generosum patriam hostibus infestis monstrisque saevis liberantem ostenderunt, quorum nobilissima monumenta — grave damnum — sine vestigio fere perierunt, ita ut tragoediae Sophocleae vix nomen salvum ad nos pervenerit (utrum Aegeus an

Theseus esset inscripta an haec nomina ad duo diversa dramata pertineant, ignoramus). Euripidis quidem trilogiam [1]) Aegeum, Theseum, Hippolytum I amplectentem detexit felix Wilamowitzii ingenium, sed totius illius aedificii, tribus (ut ita dicam) tabulatis editi, lapides tam pauci et parvi aetatem tulerunt, ut operam perdere videatur, qui hisce frustulis laceris domum qualemcumque restituere audeat.

At tali in re nimia cautio nocet; quisquis omnia, quae non firmissimis testimoniis nituntur, spernit, haud multum proficiet. Saepe ad meras coniecturas, ad divinationem quandam animique impetum erit confugiendum, ubi argumenta certa nos deficiunt, si imaginem veri quamquam non invictam, attamen probabilem adumbrare studemus.

Iam de trilogiae fabula prima, de Aegeo, multa sane conici, pauca admodum pro certo statui possunt. Hoc quidem constat, huius dramatis argumenti summam reddi in sequenti Homeri scholio (Λ 741): *Μήδεια ἐγένετο Αἰήτου μὲν θυγάτηρ, Ἰάσονος δὲ γυνή, αὕτη μετὰ τὴν ἀπεργασθεῖσαν ἐν Κορίνθῳ τεκνοκτονίαν φυγὰς εἰς Ἀθήνας ἀφίκετο, καὶ ἐγαμήθη ἐκεῖ Αἰγεῖ τῷ Πανδίονος. κἀκεῖ Θησέα τὸν ἐξ Αἴθρας γενόμενον τῷ Αἰγεῖ, ἐπὶ τὸν τοῦ πατρὸς ἀναγνωρισμὸν ἐκ Τροιζῆνος ἀφικόμενον, πείθει τὸν Αἰγέα φάρμακον αὐτῷ δοῦναι θανάσιμον, ἐπίβουλον αὐτοῦ τῆς βασιλείας εἰποῦσα παραγίνεσθαι. πεισθεὶς δὲ Αἰγεὺς παραγενομένῳ τῷ παιδὶ φάρμακον ἔδωκεν. μέλλοντος δὲ καταπίνειν ἐπιγνοὺς τό τε ξίφος καὶ τὰ ὑποδήματα (ταῦτα γὰρ ἐν Τροιζῆνι γνωρίσματα κατέλιπεν) τὸ μὲν φάρμακον ἀφείλετο, τὴν δὲ Μήδειαν ἐξέβαλε τῆς Ἀττικῆς. οἰκήσασα δὲ αὕτη τὴν πλησίον Ἤλιδος Ἔφυραν πολυφάρμακον ἐποίησεν αὐτὴν ἐπονομασθῆναι. ἡ ἱστορία παρὰ Κράτητι.*

---

1) v. Wilam, Hermes XV p. 481 sqq; Robert, Hermes XV p. 485. Cf. etiam M. Mayer, de Eurip. Mythopoeia p. 59 sqq.

Plutarchus quoque nostrae fabulae argumentum expressit, e cuius narratione haec afferre sufficiat (v. Thesei cap. 12): *Προαισθομένη δὲ περὶ τοῦ Θησέως αὕτη* (i. e. Medea), *τοῦ μὲν Αἰγέως ἀγνοοῦντος, ὄντος δὲ πρεσβυτέρου καὶ φοβουμένου πάντα διὰ τὴν στάσιν, ἔπεισεν αὐτὸν, ὡς ξένον ἑστιῶντα, φαρμάκοις ἀνελεῖν. Ἐλθὼν οὖν ὁ Θησεὺς ἐπὶ τὸ ἄριστον οὐκ ἐδοκίμαζε φράζειν αὐτὸν, ὅστις εἴη, πρότερος, ἐκείνῳ δὲ βουλόμενος ἀρχὴν ἀνευρέσεως παρασχεῖν, κρεῶν παρακειμένων, σπασάμενος τὴν μάχαιραν, ὡς ταῦτα τέμνων, ἐδείκνυεν ἐκείνῳ. Ταχὺ δὲ καταμαθὼν ὁ Αἰγεὺς τὴν μὲν κύλικα τοῦ φαρμάκου κατέβαλε, τὸν δὲ υἱὸν ἀνακρίνας ἠσπάζετο, καὶ συναγαγὼν τοὺς πολίτας ἐγνώριζεν ἡδέως δεχομένους διὰ τὴν ἀνδραγαθίαν.*

In summis rebus scholiastam et Plutarchum consentire videmus; uterque narrat, quomodo Theseus Troezene profectus Athenas veniat et Medea Aegeo seni res novas metuenti persuadeat, ut veneno iuvenem e medio tollat; regem autem in ipso discrimine periculi filium suum agnoscere et Medeam insidiis detectis ex urbe pellere.

Eandem materiam tractandam sibi sumpsisse Euripidem in Aegeo fabula nemini dubium esse potest. In singulis tamen scholion et Plutarchi narratio aliquanto inter se differunt eritque considerandum, uter diligentius poetae vestigia legisse videatur.

Initium faciamus a duabus quaestionibus levioris momenti. Apud scholiastam hoc tantummodo legimus, Aegeum venenum obtulisse *παραγενομένῳ τῷ παιδί,* sed Plutarchus addit in convivio id factum esse, quod additamentum statim tragici poetae manum indicat, praeterquam quod similis veneficii scena in „Ione" ex Euripide hoc a Plutarcho receptum esse satis superque testatur.

Deinde quaeritur, quomodo in illo convivio Theseus a patre agnitus sit. Primo enim aspectu mirum videtur scholiastam

gladium et calceos tamquam γνωρίσματα commemorare (ἐπιγνοὺς τό τε ξίφος καὶ τὰ ὑποδήματα· ταῦτα γὰρ ἐν Τροιζῆνι γνωρίσματα κατέλιπεν·), Plutarchum autem gladii mentionem facere, calceos omittere.

Quae res tamen non urguenda videtur neque hinc concludendum in Plutarchi fonte calceos quoque defuisse. Quod liquido apparet e cap. 3, ubi Aegeus ξίφος καὶ πέδιλα sub saxo abdita Troezene reliquisse dicitur, nec non e cap. 4, ubi Plutarchus narrat, filium ab Aethra editum a nonnullis statim Theseum vocatum esse διὰ τὴν τῶν γνωρισμάτων θέσιν. Optime igitur et calceos tamquam γνωρίσματα noverat Plutarchus, sed nostro loco paulo neglegentius de solo gladio — insigni graviore — loquitur.

Nimia subtilitate hac in re egisse videtur v. d. Mayer, [1]) ideo Euripidem calceis ad ἀναγνωρισμὸν uti non potuisse contendens, quia non tum demum, cum poculum iuveni daretur, calcei conspicerentur. In eiusmodi socordia hodierni quidem spectatores offenduntur, sed antiquos tantam ἀκρίβειαν in scena minime requirere et multo etiam graviora poetis concedere solere, notissima res est. Quoniam ergo calcei in scholio diserte commemorati Plutarcho non ignoti sunt, equidem nolim cum Mayero statuere, Euripidem eos neglexisse. Quamquam totam hanc rem — levissimam profecto — incertam manere ultro concedo. Quod denique Ovidius calceos omittit, hoc non magni faciendum est, quippe qui neque convivium commemoret neque enarret, qua fraude Medea coniugi suo persuaserit, sed totam rem, tamquam lectoribus iamdiu notam, paucis hisce versibus complectatur (Metam VII 404):

---

1) M. Mayer, De Euripidis Mythopoeia capita duo, p. 60.

„Iamque aderat Theseus, proles ignara parenti,
qui virtute sua bimarem pacaverat Isthmon:
huius in exitium miscet Medea, quod olim
attulerat secum Scythicis aconiton ab oris."

Sequuntur versus nonnulli de aconito, tunc poeta pergit:

419 „ea coniugis astu
ipse parens Aegeus nato porrexit ut hosti.
Sumpserat ignara Theseus data pocula dextra,
cum pater in capulo gladii cognovit eburno
signa sui generis facinusque excussit ab ore."

Sed iam satis! Transeamus ad quaestionem aliquanto graviorem.

Hactenus in investigatione nostra scholiastam et Plutarchum duces secuti sumus, ipsa dramatis fragmenta nondum inspeximus. Spectaculum triste neque bonae spei! At hoc saltem cognoscimus e fr. 5 [1]):

εἰ μὴ καθέξεις γλῶσσαν, ἔσται σοι κακά.

altercationem quandam fuisse. Concertantium alteram Medeam fuisse in promptu est, sed de eius adversario dubitari potest.

Mayer, qui fr. 26 Hygini huc revocat, Dianae sacerdotem Medeae adversariam inducit. Legimus enim apud Hyginum: „Postea sacerdos Dianae Medeam exagitare coepit regique negabat sacra facere posse eo quod in ea civitate esset mulier venefica et scelerata. Tunc iterum exulatur." Hyginum haec scribentem auctoritati Euripideae obnoxium fuisse Mayer mihi non probavit.

Neque enim apud scholiastam, neque apud Plutarchum, quos Euripidem secutos esse supra vidimus, Dianae illa

---

1) De ceteris fragmentis non habeo quod observem. Modo fr. 3: *δειλῶν γυναῖκες δεσποτῶν θρασύστομοι* non Theseo, sed choro attribuere malim, ne Theseus minus pie de patre loqui videatur.

sacerdos commemoratur, quod neglegere non potuissent, si revera Aegeus sacerdotis indicio commotus Medeam expulisset et illa partes tanti momenti in fabula egisset. Accedit quod huic Medeae adversariae nullus est locus in Euripidis tragoedia. Versio, quam Hyginus nobis servavit, ab Euripidea plane diversa est neque cum ea confundenda. Fabulae forma, sicut apud Hyginum exstat, nullam Thesei rationem habet, sed Medea ab rege ideo in exsilium mittitur, quod tamquam mulier venefica et scelerata impediat, ne litetur. Aegeus Euripideus tamen minime ob sacra quaedam turbata, sed ob insidias filio suo a noverca structas detectasque eam ex regno eicit.

Nequaquam igitur Dianae sacerdotem huc trahendam esse censeo, immo statuere malim, Euripidem sacerdotis personam, tamquam dramatis sui oeconomiae molestissimam, consulto ex fabula amovisse et Hyginum hoc loco antiquissimae versionis vestigium servavisse. [1])

Quis autem verba minacia, hoc fragmento expressa, pronuntiaverit, pro certo affirmare non ausim; possunt sane a Medea in Aegeum dicta esse, ut Welckerus [2]) suspicatus est, quamquam vereor ne audaciora sint in ore eius, cuius fortuna ex regis arbitrio pendeat. Potius credam Aegeum haec verba iactantem mulieris detectis etiam insidiis arrogantis linguam procacem praecludere voluisse.

Nunc venimus ad quaestionem, cur tandem Medea illas insidias Theseo struxerit. Satis miramur hanc rem neque in scholio neque apud Plutarchum ullo verbo attingi, quamquam de Thesei biographo hoc fortasse melius intellegi potest,

---

1) cf. v. Wilam. Hermes XV p. 485, qui de hac fabula observat: „eine andere Sage, die entschieden den Eindruck hoher Alterthümlichkeit macht."
2) Gr. Trag. I 732.

quippe qui fabulae Euripidis argumentum modo afferat, quatenus ipsius Thesei casus continebat atque igitur, quid Medeam ad facinus nefandum impulerit, parum curet. Sic haud magis de Medeae exsilio vel fuga, postquam dolum detectum esse narravit, quicquam Plutarchus addidit. De Medea nihil amplius audimus, simulac eius Theseique vitae itinera digrediuntur. Utut est, sine ullo dubio poeta in tragoedia plane et dilucide exponere debuit, quam ob rem Medea tam acerbo odio in hospitem iuvenem arderet quidve ab eo tantopere metueret, ut utique eius mortem concupisceret. Vix ulla alia causa excogitari potest, quam quod et ipsa filium ex Aegeo habebat, quem post regis mortem regnum accepturum esse sperabat, cui tamen nunc Thesei adventu sellam regiam praereptam iam videbat.[1] Eadem invidia Medeam instigabat in Theseum quae Liviam in Augusti nepotes, Agrippinam in Britannicum.

De Aegei filio ex Medea suscepto ante Euripidem numquam audimus, sed apud seriores saepius hic commemoratur, cui nomen Medi tribuunt. Sic legimus apud Hyginum (fr. 26 initio): „Medea Corintho exul Athenas ad Aegeum Pandionis filium devenit in hospitium eique nupsit. ex eo natus est Medus".

Medum igitur hunc in Aegeo Euripidea personam egisse constat. Sed eum non solum a poeta inductum, sed etiam creatum esse demonstrare posse mihi videor. Antiquitus enim Medea nomen suum Mediae et Medis imposuisse tradebatur. Quam etymologiam e. g. apud Herodotum invenimus (VII 62): *οἱ δὲ Μῆδοι .... ἐκαλέοντο πάλαι πρὸς πάντων Ἄριοι, ἀπικομένης δὲ Μηδείης τῆς Κολχίδος ἐξ Ἀθηνέων ἐς τοὺς Ἀρίους τούτους μετέβαλον καὶ οὗτοι τὸ οὔνομα.* Fortasse Pindarus quoque, apud quem Persae non *Μῆδοι*, sed *Μήδειοι*

1) vid. etiam Mayer l. l.

vocantur, [1]) huius etymologiae memor fuit et nomen eorum Colchidis nomini adaptavit.

Res autem est notabilis atque insignis omnes auctores Euripide posteriores semper et ubique non Medeam, sed filium eius Medum tamquam Mediae heroem eponymum afferre. Inde a tempore, quo Graecis magis innotescere iam coeperant Medi, i. e. inde a bellis Persicis desiderium emergebatur Medorum originem quodammodo coniungendi cum mythologia Attica. At poetica inventione opus erat ad hunc nodum nectendum. Itaque inde ab Euripide omnes avide novam hanc etymologiam arripuerunt, [2]) qua Medi originem suam ab Aegeo Athenarum rege abducerent.

De dramatis exitu optime meritus est Mayer (l. l.), qui apte huc attulit duos versus ex Theopompi comici Theseo (Meineke II p. 798, 1; fr. 17 Kock, p. 737):

ἵξει δὲ Μήδων γαῖαν, ἔνθα καρδάμων
πλείστων ποιεῖται καὶ πράσων ἀβυρτάκη.

Cuius fragmenti verba prima ex Aegeo Euripidea desumpta esse feliciter coniecit v. d., putans tamen hoc vaticinium ab ipsa Medea editum fuisse, non iam in scena consistente, sed draconteo curru sublata per aera avolatura. Quod cum Hygino concinit, qui fab. 26 narrat Medeam iunctis draco-

---

1) Pyth. I 78. Haud aliter iudicat Wilamowitzius „Hieron und Pindaros" pag. 35, qui postquam observavit antiquissimam formam *Μήδειοι* apud Ibycum quoque exstare, ita pergit: „es liegt auf der Hand, dass diese Form dazu geführt hat *Μήδεια* mit dem Kriegervolke Innerasiens zu verbinden: der Sohn *Μῆδος* ist erst zwischengeschoben, als der kürzere Namen der überlieferten Combination Schwierigkeiten bereitete".

2) Hyg. fab. 27; Apollod. I 9, 28; Diodor. IV 55; Steph. Byz. s. v. *Μηδία*; Strabo XI 526; Cephalio apud Syncell. p. 167 A (F. H. G. III p. 626). Pausanias II 3, 8 locum Herodoti supra l. exscripsit atque Medos igitur nomen suum a Medea accepisse tradit, sed continuo addit Medum, Medeae ex Aegeo filium, matrem in Asiam comitatum esse, quae ex diversis fontibus hausit temere — ut solet — coniungens; cf. p. 29.

nibus ab Athenis Colchos rediisse. Quod si ita se haberet, Medus matrem non in curru comitatus, sed sua sponte in Mediam profectus esset, cui tamen iustam causam separatim abeundi non facile excogitaveris.

At iis, quae Mayerus de nostri dramatis fine disputavit, nonnulla adici posse censeo ex Diodoro, qui, postquam exposuit auctores quosdam tradere Medeam in Asiam profectam ibi *συνοικῆσαί τινι τῶν ἐπιφανῶν βασιλέων*, ex quo Medum filium, a quo Medi nomen duxerint, genuerit, sic pergit (IV 56): *Καθόλου δὲ διὰ τὴν τῶν τραγῳδῶν τερατείαν ποικίλη τις καὶ διάφορος ἱστορία περὶ Μηδείας ἐξενήνεκται, καί τινες χαρίζεσθαι βουλόμενοι τοῖς Ἀθηναίοις φασὶν αὐτὴν ἀναλαβοῦσαν τὸν ἐξ Αἰγέως Μῆδον εἰς Κόλχους διασωθῆναι· κατὰ δὲ τοῦτον τὸν χρόνον Αἰήτην ἐκ τῆς βασιλείας ὑπὸ τἀδελφοῦ Πέρσου βιαίως ἐκπεπτωκότα τὴν ἀρχὴν ἀνακτήσασθαι, Μήδου τοῦ Μηδείας ἀνελόντος τὸν Πέρσην· μετὰ δὲ ταῦτα δυνάμεως ἐγκρατῆ γενόμενον τὸν Μῆδον πολλὴν ἐπελθεῖν τῆς ὑπὲρ τὸν Πόντον Ἀσίας, καὶ κατασχεῖν τὴν ἀπ' ἐκείνου προσαγορευθεῖσαν Μηδίαν.*

E tragoedia quadam hanc historiam *ποικίλην* et *διάφορον* se desumpsisse Diodorus ipse diserte fatetur. Post ea autem, quae supra disputavimus de Euripide Medi personam in fabulam introducente et ita Medorum originem Atticam celebrante, coniectura minime temeraria est poetam hunc tragicum, qui *χαρίζεσθαι βουλόμενος τοῖς Ἀθηναίοις* finxit *τὸν ἐξ Αἰγέως Μῆδον κατασχεῖν τὴν ἀπ' ἐκείνου προσαγορευθεῖσαν Μηδίαν* ipsum Euripidem nostrum fuisse.

Itaque mihi persuasum est omnia illa, quae Diodorus enumerat, in fine dramatis Medo praedicta esse, non a Medea, sed ab alia quadam persona divina, quo in vaticinio verbis illis *ἵξει δὲ Μήδων γαῖαν* (pervenies in Medorum terram) suus est locus, quae optime in Medum solum

diriguntur; Medea enim in Asiam ventura non erat. Aptissime poeta, regno Atheniensi a Theseo praerepto, alteri huic Aegei filio sortem praeclaram et imperium magnum vaticinatus est.

Restat una res gravissima, quae aliquanto fusius tractanda mihi erit. Quaeritur enim, utrum Thesei expeditio in taurum Marathonium[1]) in tragoedia nostra locum obtinuerit necne.

Ex omnibus auctoribus, qui de tauro Marathonio a Theseo victo egerunt, unus Mythographus Vaticanus hanc fabulam cum Medeae insidiis coniunxit, hoc tradens (I c. 48): „Medea autem, repudiata ab Iasone, Aegeo nupta persuasit advenientem iuvenem tauro opponere, qui vastabat Atticam regionem, dicens futurum, ut ab eo privaretur regno. Theseus vero tauro interfecto duplicavit regi timorem. Dein invitatum ad epulas eum perdere voluit. Tandem agnito gladio, quem apud Aethram olim reliquerat, libens agnovit filium, et Medeam, quae fuerat insidiarum causa, profugere coegit".

Idem vel fere idem, sine dubio ex eodem fonte proveniens, legimus in Apollodori epitoma Vaticana (I 5): „*Καθάρας οὖν Θησεὺς τὴν ὁδὸν ἧκεν εἰς Ἀθήνας. Μήδεια δὲ Αἰγεῖ τότε συνοικοῦσα ἐπεβούλευσεν αὐτῷ, καὶ πείθει τὸν Αἰγέα φυλάττεσθαι ὡς ἐπίβουλον αὐτοῦ. Αἰγεὺς δὲ τὸν ἴδιον ἀγνοῶν παῖδα, δείσας ἔπεμψεν ἐπὶ τὸν Μαραθώνιον ταῦρον. ὡς δὲ ἀνεῖλεν αὐτόν, παρὰ Μηδείας λαβὼν αὐθημερινὸν προσήνεγκεν αὐτῷ φάρμακον. ὁ δὲ μέλλοντος αὐτῷ τοῦ ποτοῦ προσφέρεσθαι ἐδωρήσατο τῷ πατρὶ τὸ ξίφος, ὅπερ ἐπιγνοὺς Αἰγεὺς τὴν κύλικα ἐξέρριψε*

1) Hoc Thesei *ἔργον* in Acropoli *ἀνέθεσαν* Marathonii (cf. Paus. I 27, 9), cuius anathematis fragmentum Benndorf agnovit in corpore tauri ex marmore facti, priore saeculo exeunte inter Propylaeas et Poliadis templum reperto (vid. O. Benndorf, Jahresh. d. Öst. Arch. Inst. I 191 sqq.).

τῶν χειρῶν αὐτοῦ. Θησεὺς δὲ ἀναγνωρισθεὶς τῷ πατρὶ καὶ τὴν ἐπιβουλὴν μαθὼν ἐξέβαλε τὴν Μήδειαν.

Theseus igitur ut alter Bellerophontes primum in monstrum invictum mittitur, unde ne salvus rediret, minime timebat Medea.

„*τῷ δ' ἄρ' ἀνερχομένῳ πυκινὸν δόλον ἄλλον ὕφαινε*"

atque veneno eum necare conatur.

Vulgo tamen traditur — e. g. a Plutarcho[1]) et a Diodoro[2]) — Theseum, postquam iam a patre agnitus est et Medea ex urbe aufugit, sponte ad taurum interficiendum profectum esse atque eum Apollini Delphinio immolavisse.

Illam versionem inusitatam atque singularem, ex qua Aegeus Medea auctore adulescentulum ignotum Marathonem mittit, Ovidium (Metam. VII 404—452) quoque praetulisse, praeeunte Naekio[3]) contenderunt Michaelis[4]) et Wagner[5]) nec non M. Haupt in editione Metam. Ehwaldiana octava,[6]) quos omnes longe a vero hic aberrasse mihi persuasum est. Quod ut aliis probem, primum Ovidii narratio accuratius inspicienda erit, quae incipit ab hisce verbis[7]):

„Iamque aderat Theseus, proles ignara parenti,
qui virtute sua bimarem pacaverat Isthmon:
huius in exitium miscet Medea, quod olim
attulerat secum Scythicis aconiton ab oris."

(sequuntur 12 versus de aconiti origine et nomine); deinde poeta pergit vs. 419:

1) v. Thes. c. 14.
2) IV 59.
3) Callimachi Hecale (Opusc. II) p. 205.
4) Archaeol. Ztg. 1877, p. 76 et 1885, p. 282.
5) Epitoma Vaticana (Lips. 1891) p. 124.
6) In adnot. ad vs. 434.
7) Met. VII 404.

„ea (aconita) coniugis astu
ipse parens Aegeus nato porrexit ut hosti.
Sumpserat ignara Theseus data pocula dextra,
cum pater in capulo gladii cognovit eburno
signa sui generis facinusque excussit ab ore.
effugit illa necem nebulis per carmina motis."

Hactenus omnia apte et ordine enarrata sunt: Athenas venit iuvenis; pater Medea auctore veneno eum e medio tollere conatur, in ultimo discrimine filium agnoscit et servat, fraudem detegit; Medea effugit.

De tauro Marathonio nullum omnino verbum.

Unde tandem viri docti, quos supra dixi, effecerunt Medeam, priusquam adolescenti venenum obtulit, eum contra taurum misisse?

Nimirum e vs. 433 sqq.; nam poeta patris et omnium civium gaudium de Thesei adventu atque salute describens sic pergit (vs. 430):

„nullus Erechthidis fertur celebratior illo
illuxisse dies: agitant convivia patres
et medium vulgus nec non et carmina vino
ingenium faciente canunt: 'te, maxime Theseu,
mirata est Marathon Cretaei sanguine tauri,
quodque suis securus arat Cromyona colonus,
munus opusque tuum est; tellus Epidauria per te
clavigeram vidit Vulcani occumbere prolem,
vidit et inmitem Cephisias ora Procrusten,
Cercyonis letum vidit Cerealis Eleusin.
occidit ille Sinis" e. q. s.

Hoc igitur concedendum est, Theseum taurum iam occidisse, antequam a patre agnitus est. Unde tamen minime sequitur, eum a Medea contra taurum missum esse; immo in praecedentibus aperte dictum est Medeam statim post-

quam iuvenis advenit in eius exitium venenum miscuisse (vs. 404: iamque aderat Theseus: huius in exitium miscet Medea venenum). Nullo modo poeta disertius ostendere poterat, duo haec facta continuo se excepisse. Ovidius quidem ab usitata fabulae forma paululum discessit tauri caedem non inducendo postquam Theseus iam a patre agnitus est, sed inserendo in enumerationem facinorum illustrium, quae heros in itinere Troezene Athenas facto confecit. Tauri mors uno tenore narratur cum exitio suis Cromyonis, Periphetis, Procrustis, aliorum monstrorum.

Ne quis mihi opponat Theseum Marathonem praeterire non potuisse; nam idem dici potest de Cephisiade, quae planitiem Marathoniam tangit. Geographiam in enumeratione nihil curavit poeta.

Ovidio igitur exempto nonnisi Mythographus vel epitomator Vaticanus restat, qui Theseum Medea instigante contra taurum missum esse finxit.

Iniuria enim Reitzenstein (Ind. Rostock. 1891/92 p. 5) coniecit Callimachum quoque in Hecala sua illam Mythographi versionem expressisse. Medeae insidias in hoc carmine cantatas fuisse idem vir d. rectissime effecit e fragmento 79 [1]) (510):

ἴσχε τέκος, μὴ πῖθι!

Quae sunt verba Aegei poculum mortiferum e filii manu eripientis. Non intellego, quomodo Wilamowitz [2]) dubitare possit, num omnino Medea in Callimachi carmine partes egerit, nisi forte adstipulatur puerili Schneideri coniecturae, suspicantis Hecalen his verbis Theseo aquam petenti obstitisse, valetudini eius veritam.

---

1) Numeros affero, quos dedit Ida Kapp, quae paucis ante annis collegit „Callimachi Hecalae Fragmenta", Berol. a. 1915.

2) G. G. N. 1893 p. 740.

Erravit tamen Reitzenstein — ut iam dixi — expeditionem contra taurum susceptam quoque Medeae simultati assignando. Quod demonstrat fragm. 58 (fr. Vindobon. col. I) [1]), ubi legimus omnes *ἄνδρα μέγαν καὶ θῆρα πελώριον* aspicientes perterritos refugere, (vs. 4)

μέσφ' ὅτε δὴ Θησεύς φιν ἀπόπροθι μακρὸν ἄυσε·
μίμνετε θαρσήεντες, ἐμῷ δέ τις Αἰγέϊ πατρί
νεύμενος ὅς τ' ὤκιστος ἐς ἄστυρον ἀγγελιώτης
ὧς ἐνέποι — πολέων κεν ἀναψύξειε μεριμνέων —·
Θησεὺς οὐχ ἑκὰς οὗτος, ἀπ' εὐύδρου Μαραθῶνος
[ζ]ῳὸν ἄγων τὸν ταῦρον. ὁ μὲν φάτο, τοὶ δ' ἀίοντες
[π]άντες [ἰ]ὴ παιῆον ἀνέκλαγον, αὖθι δὲ μίμνον.
οὐχὶ νότος τόσσην γε χύσιν κατεχεύατο φύλλων,
οὐ βορέης οὐδ' αὐτὸς ὅτ' ἔπλετο φυλλοχόος μ[ε]ίς,
[ὅ]σσα τότ' [ἀ]γ[ρ]ῶσται περί [τ'] ἀμφί [τ]ε Θησέι βάλλον,
[οἵ μιν ἐκυκλώσα]ντο περισταδόν, αἱ δὲ γυναῖκες
. . . . στόρνῃσιν ἀνέστεφον . . . .

Horum versuum sententia perspicua est.

Magna voce Theseus colonos Marathonios, ignorantes, quis esset iuvenis ille, qui taurum domuisset, inclamat „Theseum esse, qui taurum vivum in urbem acturus sit; victoriam aliquis patri Aegeo nuntiet". Vix erat locutus, cum omnes magno cum gaudio eum excipiunt et ovantes circumdant. Ergo cum Theseus taurum victum secum agens in urbem reverteretur, pater eius victoriae certior factus iam sciebat, quis esset neque igitur venenum post reditum oblatum esse potest.

Itaque apud Callimachum expeditio Marathonia post cognitionem patris et filii demum facta est, Athenis Theseus

1) cf. Mitt. a. d. Slg. d. Pap. Erzh. Rainer Bd. VI 1897; Gomperz Hellenika II p. 273 sqq.

iam notus erat, cum Marathonem proficisceretur, Marathoniis originem suam nonnisi tauro superato patefecit.

Nemo ergo praeter Mythographum (= epitomatorem Vaticanum) certamen cum tauro initum Medeae dolis immiscuit. Unde haec versio insolita originem ducit?

Euripidem fabulam traditam consulto sic mutavisse statuit Wagnerus (l. l.), quem secutus est Michaelis [1]), qui etiam demonstrare conatus est omnem necessitudinem, quae Medeae cum Aegeo Athenisque est, ab Euripide esse creatam neque antea inter eam et Athenienses ullam rationem intercessisse.

Ad hanc quaestionem dissolvendam nobis, ab auctoribus destitutis, auxilio veniunt duo artis opera, quorum alterum, patera quae dicitur Codriana, nobis repraesentat Theseum et Phorbantem, utrumque plane armatum et ad expeditionem quandam periculosam paratum.

Contra Theseum astat Aegeus, Medea Phorbanti galeam porrigit, Aethra capite velato procul intuetur. Summo iure Michaelis ostendit [2]), nos hic prorsus eundem mythum, quem apud Mythographum legimus, ante oculos habere, i. e. Theseum, ab Aegeo et Medea missum, cum Phorbante contra taurum Marathonium proficiscentem.

De altero vase haesito. Est „pelica" quaedam Petropolitana, in oppido Kertsch reperta, in qua Medea conspicitur iuvenem, qui clava pallioque in terra depositis taurum domare conatur, inspiciens, Minerva et alio quodam iuvene astantibus. Michaelis hic quoque Theseum taurum Marathonium vincentem agnoscere vult, [3]) quamquam non satis

1) Arch. Ztg. 1885 p. 291 sqq. „die Verbindung Medeias mit Aegeus und Athen ist kein alter Sagenzug, sondern, so weit wir sehen können, eine Erfindung des Euripides."

2) Arch. Ztg. 1877 p. 77.

3) Arch. Ztg. 1877 p. 75 sqq.; 1885 p. 231 sqq., p. 281, p. 291 sqq. Vid. etiam J. H. Goedhart, De Medeae Mytho apud antiquos scriptores et artifices, p. 52 sq. Cf. praeterea Roscher II, col. 2513.

explicatur, cur Medea ipsi certamini adsit; Purgold [1]) de Iasone cogitat et opinionem suam non mediocriter corroboravit comparando aliam Iasonis tauromachiae imaginem, nostrae simillimam. Repugnat autem, quod Iason in mytho non unum, sed duos tauros frenare semper dicitur.

Dubito, utri parti me adiungam in re tam ambigua. Neque multum ad meam disputationem refert, quae paterae Codrianae imagine satis sustinetur. Huius paterae artifici Euripidis Aegei argumentum ante oculos obversatum esse sibi persuasit Michaelis, quippe qui — ut supra vidimus — omnem rationem, quae inter Medeam et Aegeum intercederet, ab Euripide excogitatam esse putet. Unde sequeretur pateram nostram ultimis quinti saeculi decenniis pictam esse. Sed toti Michaelis argumentationi fundamentum subtraxit v. d. B. Graef, [2]) qui multis eiusdem generis similisque structurae et ornatus vasis comparatis convicit, pateram Codrianam haud ita multo post quam Persae Athenas vastarunt (circiter inter annum 470 et 460) confectam esse.

Quod si ita se habet — mihi quidem eius argumenta, quae apud ipsum videas, non facile refelli posse videntur [3]) — Medeae cum regum Atticorum domo vinculum iam diu ante Euripidis aetatem nexum est. Itaque Euripides singularem illam versionem, quae apud Mythographum obvia nobis est, creare non potuit; restat ut quaeramus an eam in drama suum receperit. Quod haud ita facile pro certo effeceris, quamquam hoc ante omnia tenendum est hanc fabulae formam post bella Persica satis notam fuisse, quoniam a poeta quodam instituta etiam ab artificibus recipiebatur, postea autem numquam fere eius mentionem fieri. Qui

1) Arch. Ztg. 1883 p. 163 sqq.
2) Arch. Jb. XIII 1898 p. 65—73.
3) Graefio quoque adstipulatur Gruppe, Gr. Myth. 580_2.

omnium auctorum seriorum (uno Mythographo excepto) consensus verisimillimum reddit Euripidem, a quo multos eorum materiam Thesei mythi mutuatos esse vidimus, hac quoque in re iis exemplum fuisse. Neque in scholio Homerico, quod iure Aegei Euripideae hypothesis vocatum est, neque apud Plutarchum huius Medeae doli ullum latet vestigium.

Minime igitur Wagnero et Michaeli concedendum est Euripidem hunc Thesei laborem Medeae dolis implicuisse, immo credendum poetam de industria pugnam cum tauro Marathonio commissam neglexisse. Neque quo consulto id fecerit, obscurum est. Nam ut omittam venenum prorsus sufficere ad Medeae perfidiam demonstrandam et Thesei expeditionem Marathoniam minus apte in drama inseri potuisse: in eadem trilogia eidem heroi certamen simillimum erat subeundum cum tauro Cretico, cum Minotauro; neque miramur poetam, qui sine ullo damno alteram pugnam neglegere poterat, libenter hanc occasionem arripuisse, ne in eadem tragoedia (trilogia enim una tragoedia vocari potest) bis eandem fere rem spectatoribus proponeret.

Fabulae formam apud Mythographum et in Epitoma casu quodam servatam antiquiorem esse et ab Euripide repressam mihi — spero et lectoribus nonnullis — persuasi.

Ut quae de hac prima trilogiae fabula disputavi paucis comprehendam:

Medea de Thesei adventu certior facta regi persuadet, ut iuvenem, quem regnum Atticum affectare ait, ad cenam vocet et veneno e medio tollat. Regina enim metuit, ne filius, quem ipsa ex Aegeo habebat, a Theseo repellatur.

Postquam Aegeus gladium et calceos, quae *ἀναγνωρίσματα* apud Aethram Troezene reliquerat, agnovit insidiasque Medeae detexit, eam cum filio eius pellit. Filio cum matre

curru draconteo avolaturo fortuna praeclara praedicitur; matris enim patre in regnum restituto cum magno exercitu Colchide in Asiam traiciet Medorumque a se devictorum heros eponymus fiet.

Dianae sacerdotis, Medeae adversariae, personam atque Thesei contra taurum Marathonium expeditionem, qui mythi Euripidis aevo iam antecedunt, poeta consulto omisit, quod in usum suum eos convertere non posset. Contra Medi personam, antea ignotam, induxit, ut Medea haberet, quod Theseum occidere tam vehementer cuperet utque Medi originem suam ab Atticorum regum domo duxisse traderentur.

CAPUT IV.

De Euripidis „Theseo".

Quae e secundo trilogiae dramate, e „Theseo", fortuna crudelis nobis servavit, tam sunt pauca et futilia, ut nihil fere nisi poetam egisse de Minotauro, in Creta insula a Theseo interfecto, aliqua verisimili ratione ex iis colligi possit.

Quas reliquias vilissimas etiam minuere studuit virorum doctorum cura, haud scio an iniuria. Auctore enim Fritzschio v. d. Sande Bakhuyzen, [1]) v. Wilamowitz, [2]) v. Leeuwen [3]) inter se coniuraverunt, ut fr. 383 et 384 hinc expellerent et ad aliam tragoediam delegarent. Talis quattuorviratus auctoritati obniti sine dubio irritum arrogansque videbitur, sed tamen scrupulos meos proferre conabor.

Leguntur in Aristophanis Ranis hi versus (470 sqq.):

τοία Στυγός σε μελανοκάρδιος πέτρα
Ἀχερόντιός τε σκόπελος αἱματοσταγὴς
φρουροῦσι, Κωκυτοῦ τε περίδρομοι κύνες,
Ἔχιδνά θ' ἑκατογκέφαλος, ἣ τὰ σπλάγχνα σου

1) De parodia in Comoediis Aristophanis p. 141 sqq.
2) Analecta Euripidea p. 172.
3) Arist. Ran. ad vs. 464 sqq.

διασπαράξει· πλευμόνων δ' ἀνθάψεται
Ταρτησία μύραινα, τὼ νεφρὼ δέ σου
αὐτοῖσιν ἐντέροισιν ἡματωμένω
διασπάσονται Γοργόνες Τειθράσιαι,
ἐφ' ἃς ἐγὼ δρομαῖον ὁρμήσω πόδα.

Haec dictionem tragicam referre nemo est, quin statim audiat atque in scholiis identidem affirmatur Theseum Euripidis hoc loco a comico ludibrio haberi, ex qua fabula in scholiis hi tres trimetri afferuntur:

κάρα τε γάρ σου συγχέω κόμαις ὁμοῦ,
ῥανῶ τε πεδόσ' ἐγκέφαλον, ὀμμάτων δ' ἄπο
αἱμοσταγεῖ πρηστῆρε ῥεύσονται κάτω.

Tres hos versus ianitoris Aristophanei verbis minime similes esse, „sive — ut Leeuwenii verbis utar — locum, sive occasionem sive personam loquentis sive ipsa denique verba spectes", viri docti supra l. observaverunt, multo melius haec omnia in Pirithoum drama convenire contendentes, ubi Herculis descensio ad inferos eiusque colloquium cum Aeaco depingeretur. Scholiastarum igitur errore Thesei fabulae nomen in commentarios irrepsisse. In scholiis autem vetustis scriptum fuisse Euripidem haec non *ἐν Θησεῖ*, sed *ἐπὶ Θησεῖ* — de Theseo — dixisse, in Pirithoo scilicet fabula. Tres illos trimetros quoque lectos fuisse in Pirithoi loco, quem comicus nunc imitaretur.

Quod attinet ad coniecturam, scholiastam primitus non *ἐν Θησεῖ* sed *ἐπὶ Θησεῖ* scripsisse, eam vitiosam esse apparet, si ipsum scholium inspicimus. Legitur enim ad vs. 475: *ἔστι δὲ ταῦτα ἐν Θησεῖ πεποιημένα Εὐριπίδῃ· ἐκεῖ γὰρ τοιοῦτός ἐστι σπουδάζων ὁ Εὐριπίδης, οἷος ἐνταῦθα παίζων.* Verba *ἐν Θησεῖ* — in Theseo fabula — hic nullo modo in *ἐπὶ Θησεῖ* — de Theseo — mutanda esse docet vocabulum *ἐκεῖ*, quod tantum ad fabulam, non ad personam spectare potest.

Concedo quidem trimetros in scholiis allatos, si ipsa verba spectas, non multa cum Aristophanis verbis communia habere, sed totus versuum color et sonus minarum plenus idem est.

Atque — et hoc gravissimum est — non intellego, quid intersit, utrum nimia haec, in qua offenduntur, discrepantia inter parodiam et locum *παρῳδούμενον* ad Thesei an ad Pirithoi fabulae locum pertineat.

Praeterea — atque hoc observatum velim contra eos, qui verborum similitudinem frustra quaerentes tres illos trimetros falso huc allatos esse et comicum prorsus alium locum imitatum esse statuerint — praeterea, aio, ipsa scholiastae verba imitationem accuratam non admittunt. Legimus enim in schol. ad vs. 467: *παραπλήσιά ἐσιι τούτοις τὰ ἐν τῷ Θησεῖ πεποιημένα παρ' Εὐριπίδῃ*. Et ad vs. 473: *ὁ τόπος οὗτος παρὰ τὰ ἐν Θησεῖ Εὐριπίδου.* Eandem imitationem neglegentiorem arguunt haec verba schol. ad vs. 470: *καὶ τὰ μὲν ἑαυτῷ πλάττων λέγει, τὰ δὲ ἐξ Εὐριπίδου.*

Hactenus quod ad similitudinem verborum attinet. Personam loquentis atque totum rerum statum et conditionem huius scenae Aristophaneae melius in Pirithoi argumentum quadrare, quam in Thesei viri docti supra l. contendunt. Sed quae de Theseo fabula novimus minora et leviora sunt, quam ut multum tribuendum sit huic sententiae, cui repugnat, quod in scholiis non solum quinquies affirmatur haec ex Theseo Euripidis desumpta esse, sed etiam additur in quem illae exsecrationes evomerentur, in Minoem scilicet (cf. schol. ad vs. 467: *καὶ τοιαῦτα λέγει* (Theseus) *πρὸς τὸν Μίνωα*). Rixa et altercatio inter Minoem et Theseum de Eriboea orta aliunde etiam nota est [1]). Illud *πρὸς τὸν Μίνωα* a sero

1) v. p. 88 sqq.

demum nato homine aliquo esse adiectum v. Leeuwen coniecit. Sed leviorem hanc esse coniecturam ipse vir cl. sine dubio concedet. Itaque hoc fragmentum Theseo Euripideae abiudicandum esse minime censeo.

Quo frustulo ab excidio vindicato, reliquiae nihilominus manent parcissimae. Itaque quisquis argumentum huius dramatis tantum non plane deperditi indagare conatur, alios Minotauri fabulae auctores adeat necesse est, ut variis versionibus collatis seligat speciem Euripidis arti atque ingenio maxime accommodatam. Quod opus esse periculosae aleae plenum, praesertim, cum nemo posteriorum usquam fateatur, Euripidem sibi auctorem fuisse, minime nego. At quamquam multa pro certo affirmari et aperte diiudicari non poterunt, si ad fabularum Theseum spectantium rudem indigestamque molem seiungendam atque tot rerum discordium litem dirimendam pro meis viribus aliquid attulero, non frustra laborasse mihi videbor.

Ariadnae glomus confusum iam partim explicatum, labyrinthi densae tenebrae iam partim discussae sunt et aliorum et Roberti acumine, qui summo iure demonstravit [1]) fabulae Euripidis aetatem antecedentis cardinem fuisse coronam illam fulgentem, quam Theseus ab Amphitrita in ipsa Neptuni regia accepisse dicitur; quam fabulam antiquissimam nobis tradiderunt Bacchylides, Pausanias Miconis in Theseo picturam describens, Euphronius aliique artifices, inter quos omnes tanta est convenientia et similitudo, ut ex communi fonte hausisse putandi sint.

Hac fabula Euripidem dramatis sui argumentum supplevisse primus coniecit Leo, [2]) cui omnes fere viri docti in his

---

1) Hermes XXXIII p. 132 sqq.; v. etiam Berlin. Arch. Gesellsch. Mart. 1889.
2) Senec. trag. I p. 180.

studiis versati adstipulati sunt[1]; quin huius rei adeo sunt certi, ut argumenta afferre supersederint. An revera nullus dubitationi relictus sit locus, erit videndum, prius ipsa fabula accuratius inspecta.

In venustissimo Bacchylidis carmine XVI legimus, quomodo Theseus cum bis septem adulescentulis virginibusque Cretam vehens Minoem amore Eriboeae, unius ex puellis, flagrantem coercere conetur. Unde rixa orta Minos, quem divinae originis signum petentem Iuppiter fulmen e coelo mittendo tamquam filium suum agnoscit, ipse de Thesei divinitate dubitans anulum suum aureum in mare abicit, quem ex undis tollere Theseum iubet, ut ita se revera Neptuno natum esse probet. Theseus in mare desilit; delphines ad Neptuni regiam eum portant, ubi patris uxor Amphitrite ei coronam auream donat, quam ipsa ab Aphrodita donum acceperat. Heros salvus e fluctibus emergit et a suis magno cum gaudio acceptus navem rursus conscendit.

Simillima sunt, quae Pausanias a Micone — partim certe, nam *Μίκων οὐ τὸν πάντα ἔγραψε λόγον* — in Thesei templo picta fuisse ait,[2]) nisi quod puella amata ibi non Eriboea, sed Periboea vocatur atque additur Theseum praeter coronam etiam anulum Minois rettulisse, quod Bacchylides, totus in coronae narratione, commemorare neglexit, unde Robertus (l.l.) rectissime effecit anuli argumentum non a Bacchylide inventum, sed ab eo iam aliunde assumptum esse.

Praeterea hic mythus confirmatur et illustratur quattuor vasis rubris figuris ornatis,[3]) quorum antiquissimum anno circiter 490 ab Euphronio pictum est. Cetera haud multo

---

1) v. Wilam. Hermes XV p. 483; Robert l. l.; Mayer, De Eur. Mythop. p. 62.

2) Paus. I 17, 3.

3) Optime ea collecta atque depicta videas a v. d. A. Smith, Journ. of Hell. Stud. XVIII p. 276 sqq.

post confecta sunt. Tria coronam ostendunt, anulus nusquam conspicitur, nisi fortasse in vase Tricasio, ubi Theseus astat dextram Neptuno porrigens, laeva parvam pyxidem — ut videtur — tenens, quae anulum continere potest. Ceterum haec artis opera prorsus argumentum carminis Bacchylidis et picturae, quae templum ornabat, exprimunt, neque quicquam novi fabulae addunt.

Omnia haec eiusdem argumenti testimonia eodem fere tempore creata docent fabulam Amphitrites coronae, iam ante Bacchylidem cognitam, initio saeculi quinti cum poetis tum artificibus dilectissimam fuisse. Quo magis mirandum est eam per saecula sequentia prorsus latuisse neque usquam ullum huius mythi vestigium reperiri posse. Apud Hyginum [1]) demum resurgit.

Altum hoc silentium omnium auctorum et artificum posteriorum per se iam satis mirum nullo modo explicari posset, si Euripides quoque, quo nemo tragicorum plus apud posteros valuit, Thesei suae argumentum illa fabula ornavisset eamque posteritati propagavisset.

At multa alia et graviora obstant, quominus huic fabulae locum in dramate concedamus. Primum enim integram fabulam recipere poeta non potuit. Nam apud Bacchylidem, quem vasorum pictores secuti sunt, rixa Thesei cum Minoe, qui ipse Athenas venerat ad iuvenes petendos, in itinere alto in mari agitur et navis cursum suum continuat, dum Theseus in fundo aequoris apud patrem et novercam versatur. Euripides igitur utique scenam Cretam transferre debebat.

Quodsi fecisset, fabulam non solum mutasset, sed etiam depravasset. Fingere enim nobis cogeremur iuvenes navem iam egressos in scenam, i. e. ad labyrinthi aditum vel ad

1) Hyg. Astr. II 5, cf. p. 85.

Minois regiam, [1]) prodiisse, deinde Minoem altercatione de sua Theseique origine exorta cum Theseo scenam reliquisse et ad litus revertisse, ubi Theseus in mare se praecipitaret ad anulum reportandum. Scena profecto languida et minime apta ad spectatorum animos vinciendos! Quanto magis lectores abreptos tenet Bacchylidis carmen, in quo Minos depingitur, qui ira commotus et Theseo insultans anulum de digito trahit et in mare deicit atque Theseus, qui statim ex ipsa nave in undas submergitur ad eum recuperandum et paulo post ante oculos iuvenum iam de ducis sui salute desperantium ex aequore se tollit et originis divinae insignibus ornatus navem conscendit.

At mutaverit sane Euripides fabulam ea ratione, quam dixi Theseus ergo salvus a litore redit coronam fulgentem tenens, quam superbe Minoi ostentat; quo facto nihil aliud lucratus est nisi quod tamquam purus putus Neptuni filius.... a Minotauro devorabitur! Quod nimis esset absurdum! Mayer hoc quoque intellegens annotat [2]) : „Ubi semel inducta est corona illa, non tantum ad Minoem refutandum ea uti Theseus putandus est; sed vis aliqua et utilitas in deorum dono insit oportet." Itaque Theseum ad coronae radios fulgentes e tenebris [3]) labyrinthi sese expedivisse existimat.

At Minos, si scivisset coronam illam fulgentem exitum e

1) Cratini exemplum, in cuius „Odysseis" navis in scena conspiciebatur, nobis fortasse persuaderet in „Theseo" quoque rem in nave vel prope navem in litore actam esse, nisi res gravissima obstaret. Poeta enim pastorem in scenam inducit (v. infra p. 90 sqq.), qui Ariadnae nuntiat se nomen Thesei in nave conspicatum esse, quod absurdum foret, si ipsa navis adesset et Ariadna ipsa nomen legere potuisset. Immo pastor ille in litore vagans et casu navem ignotam primus animadvertens ad regiam (vel alium locum procul a litore) properat, ut hospitis adventum deferat.

2) De Eur. Mythop. p. 64.

3) cf. p. 87.

labyrinthi tenebris patefacere — neque id ignorare poterat — sine ullo dubio eam Theseo ademisset. Haec quidem iam satis superque demonstrare mihi videntur coronam ab Euripidis tragoedia alienam fuisse, sed restat una res gravissima, quae omnem dubitationem tollit: Si Theseus dono patris (vel novercae) e labyrintho servatus esset, Ariadnae nullus iam locus esset relictus in fabula.

Et revera Mayer Ariadnam in tragoedia nostra personam egisse negavit, levissimis, si quid video, argumentis nisus. Sic enim fere ratiocinatur vir doctus: Tradit fabula vulgata Ariadnam a Theseo ex Creta ductam esse atque dum in Naxo insula moratur a Baccho raptam vel a Theseo Baccho concessam esse. Sed in Hippolyto I Phaedra, Ariadnae soror, Thesei uxor est. Si igitur Euripides fabulam traditam de Ariadna in Theseo sua secutus esset, in una et eadem trilogia discrepantiam inexplicabilem creavisset. Nullo modo enim fingere potuit Theseum primum Ariadnam secum avexisse, mox, ubi in Naxo insula Baccho eam concessisset, inde Cretam reversum sororem in matrimonium duxisse. Itaque grato animo poeta arripuit alteram illam versionem, ab Epimenide Creticarum rerum scriptore [1]) servatam, qua Bacchus non e Naxo, sed e patria ipsa Ariadnam duxisse dicitur, quam deinde aut ipse aut eius consilio Diana interficit. Ad hanc fabulam se applicans poeta in Theseo sua Theseum induxit non Ariadnam, sed Phaedram sororem eius e Creta abducentem.

Quam opinionem Mayer confirmari putat duobis hisce versibus, qui in Aristophanis Polyido leguntur (fr. 453 Kock)

ἰδοὺ δίδωμι τήνδ' ἐγὼ γυναῖκά σοι
Φαίδραν· ἐπὶ πῦρ δὲ πῦρ ἔοιχ' ἥκειν ἄγων.

---

1) v. Robert. Eratosth. Catast. p. 66, 241.

Hos versus, quibus Aristophanes cognominem Euripidis tragoediam irridere vulgo putatur, ad eiusdem Theseum rettulit Mayer; in Polyido enim neminem excogitari posse, cui Phaedra in matrimonium dari possit; Aristophanem autem ne in comoedia quidem Phaedram haud facile alii marito dare posse nisi Theseo, cuius infelicissimum coniugium Hippolytis Euripideis pervulgatum et ab ipso Aristophane saepe perstrictum esset. Hisce igitur inesse parodiam verborum Minois, Theseo filiam suam Phaedram post Minotaurum necatum in fine dramatis uxorem dantis.

Haec fere sunt, partim ipsius verbis reddita, quae Mayer protulit ad demonstrandum totam de amore et filo Ariadnae historiam ab Euripide narratam non esse. Levia haec argumenta esse iam supra dixi. Nam quod attinet ad discrepantiam illam, quae nasceretur, si poeta in Theseo Ariadnam ab heroe nostro raptam esse, in Hippolyto I autem Phaedram ei nuptam esse finxisset — facile Mayero concedo alterum hoc coniugium aliquo modo poetae instituendum et, quomodo factum esset, explicandum fuisse. Quin poetae ingenium ad hanc difficultatem tollendam suppetiverit, non dubitamus, immo, quomodo poeta hoc fecerit, minime obscurum perplexumve est, sed discimus ab uno e posterioribus, qui hac in fabula enarranda praeter ceteros Euripidem secutus esse videtur, Diodorum volo, qui, postquam exposuit Theseum Minotauro necato ope Ariadnae labyrinthi exitum repperisse atque Ariadna in insula Naxo a Dionyso rapta Athenas rediisse, ubi patris regnum acceperit, sic pergit [1]):

Δευκαλίων ὁ πρεσβύτατος τῶν Μίνωος παίδων, δυναστεύων τῆς Κρήτης καὶ ποιησάμενος πρὸς Ἀθηναίους συμμαχίαν, συνῴκισε τὴν ἰδίαν ἀδελφὴν Φαίδραν Θησεῖ, μετὰ δὲ τὸν γάμον Ἱππόλυτον

---

1) Diod. IV c. 62.

μὲν τὸν ἐκ τῆς Ἀμαζονίδος γενόμενον υἱὸν ἔπεμψεν εἰς Τροιζῆνα τρέφεσθαι παρὰ τοῖς Αἴθρας ἀδελφοῖς, ἐκ δὲ Φαίδρας Ἀκάμαντα καὶ Δημοφῶντα ἐγέννησε. μικρὸν δ' ὕστερον Ἱππολύτου ἐπανελθόντος εἰς τὰς Ἀθήνας πρὸς τὰ μυστήρια, Φαίδρα διὰ τὸ κάλλος ἐρασθεῖσα αὐτοῦ τότε μὲν ἀπελθόντος εἰς Τροιζῆνα ἱδρύσατο ἱερὸν Ἀφροδίτης παρὰ τὴν ἀκρόπολιν, ὅθεν ἦν καθορᾶν τὴν Τροιζῆνα, ὕστερον δὲ παρὰ τῷ Πιτθεῖ μετὰ τοῦ Θησέως καταλύσασα ἠξίου τὸν Ἱππόλυτον μιγῆναι αὐτῇ e. q. s.

Diodorum hic Euripidem exscripsisse liquido apparebit, si verba litteris cursivis expressa conferas cum hisce Hippolyti Coroniferi versibus (24 sqq.):

ἐλθόντα γάρ νιν Πιτθέως ποτ' ἐκ δόμων
σεμνῶν ἐς ὄψιν καὶ τέλη μυστηρίων
Πανδίονος γῆν πατρὸς εὐγενὴς δάμαρ
ἰδοῦσα Φαίδρα καρδίαν κατέσχετο
ἔρωτι δεινῷ τοῖς ἐμοῖς βουλεύμασι
καὶ πρὶν μὲν ἐλθεῖν τήνδε γῆν Τροιζηνίαν,
πέτραν παρ' αὐτὴν Παλλάδος κατόψιον
γῆς τῆσδε ναὸν Κύπριδος ἐγκαθείσατο,
ἐρῶσ' ἔρωτ' ἔκδημον· Ἱππολύτῳ δ' ἔπι
τὸ λοιπὸν ὠνόμαζον ἱδρῦσθαι θεάν. [1])

---

1) Hunc prologi locum viri docti sollicitare varie conati sunt, alii alios versus obelo notantes; sic Hartung (de interpol. p. 36) et Jahn (Hermes II p. 249) spurios ducunt quinque versus (29—33), Blomfield (Quarterly Review VIII p. 219) et Gloël (de interpol. Hipp. fab. Eur. p. 56 sqq.) exterminant v. 32 et 33. Totam hanc quaestionem nunc retractare nolo, cum Wilamowitz (Eur. Hipp. p. 187 sq.) hos versus satis superque tuitus sit, quamquam nescio an non sufficiat medela, quam primus attulit Meineke, pro *ὠνόμαζεν* substituens *ὠνόμαζον*. Durior enim manet constructio et gravius vitium latere videtur. Utut est, totus hic locus de iuvene ad mysteria celebranda Athenas profecto et de Phaedra iam tunc amore capta et Veneris templum condente minime Euripidi abiudicandus est, sed unus est ex iis locis, e quibus Kalkmann (de Hippol. Eur. quaestiones novae p. 6) iure effecit poetam in eo iuvene,

Siquidem Diodorus — ut primo obtutu quisque videt — haec ad verbum fere in orationem pedestrem convertit, minime audax est coniectura initium huius capitis quoque ex eodem Euripide fluxisse. Suspicor ergo in Hippolyti Velati prologo eodem modo, quo hodie apud Diodorum legimus, rationem redditam esse Thesei secundi matrimonii cum Phaedra, prioris coniugis sorore. Quam explicationem poeta in Coronifero omittere ideo potuit, quia haec tragoedia trilogiae partem non effecit.

Quod autem attinet ad duos illos ex Polyido Aristophanea versus, nusquam apparet omnino Euripidem hic a comico perstringi neque facile diiudices, quanta tragoediae, quanta ipsi comico tribuenda sint. Res incertior est quam ut quicquam probare possit.

Denique Euripides ipse sibi molestiam gravissimam creavisset, si Theseum cum Phaedra uxore ex Creta Athenas revertentem finxisset. Quando enim Theseus Hippolytum ex Amazone genuisse potuisset? Ante expeditionem Cretensem huic amori in trilogia nullus erat locus; fieri igitur non potuit, quin apud Euripidem quoque — sicut apud omnes auctores seriores — Theseus, postquam Athenas rediit, Amazonem rapuerit et gravidam fecerit. Si autem Theseus cum Phaedra rediisset, uxorem legitimam decepisse putandus esset. Accedit quod Phaedra, si Hippolytus post eius cum Theseo conubium demum natus esset, privignum amatum aetate nimis superavisset et poeta chronologiam sua sponte perturbasset. Quamquam chronologiae neglectae multa exem-

---

qui esu carnium abstineat et librorum „fumis" incubet, qui totum feminarum genus oderit, Orpheotelesten vel potius nimium Orphei sectatorem carpere voluisse. Quod hominum tumidiorum et fanaticorum genus poeta in iuventute saepius attigisse videtur, quippe qui Phlya erat ortus.

pla in tragoedia exstare minime ignoro, temere unum addere nolim.

Omnia haec argumenta sufficere mihi videntur ad Mayeri opinionem refellendam et ad demonstrandum nihil omnino obstare, quominus sumamus Theseum in trilogia primum Ariadnam e Creta abduxisse, sed postquam Dionysus eam in Naxo insula rapuisset, solum Athenas venisse, eum postea autem (Hippolyto interim ex Amazone suscepto) Phaedram a Deucalione fratre eius in matrimonium accepisse.

Ariadna igitur in tragoedia nostra personam agere potuit — immo debuit. Nam quid denique restat, Ariadna e fabula expulsa? Nihil certe quod ullo modo tragoediam efficere potuit.

Neque enim Thesei iter submarinum, neque Minotauri caedes per se ullam habent vim tragicam, quam Ariadnae demum conflictio inter pietatem et cupidinem procreare potuit. Alterius huius Medeae amore, animi luctatione, culpa omissis nuda tantum facinorum fortium enumeratio, non tragoedia relinquitur.

At si Ariadnae in dramate locum concedimus, simul — ut iam dixi — coronam inde expellimus. Bacchylidis carminis argumentum ergo Euripides in tragoediam non recepit; non Neptuni dono, sed Ariadnae ope Theseus e labyrintho se expedivit.

Neque igitur multum tribuo coniecturae Roberti, qui breviter statuit [1]) tres illas optationes [2]) in Theseo fabula coronae vice functas esse: „den Kranz konnte er (Eurip.) nicht verwenden, da bei ihm an dessen Stelle die drei

1) l. l. p. 133.
2) Eur. Hipp. 46.

Wünsche treten, von denen der erste für die Rettung aus dem Labyrinth verbraucht wird."

Iure quidem Robertus censuit coronam hinc alienam esse, sed cur Theseum tres illas optationes una cum anulo in fundo maris a Neptuno patre accepisse tam confidenter affirmet, me quidem fugit. Potius faciam cum Gruppio, qui eleganter coniecit [1]) ea nocte, qua Aethra gravida facta est, maritum mortalem gladium et soleas, maritum divinum tres optationes filio futuro concessisse.

Quibus in periculis illae optationes Theseo usui fuerint, nos docet schol. ad Eur. Hipp. vs. 1348: εἰσὶ δὲ αἱ εὐχαὶ Θησέως πρὸς Ποσειδῶνα τρεῖς· πρῶτον ἀνελθεῖν ἐξ Ἅιδου, δεύτερον ἐκ Λαβυρίνθου, τρίτον Ἱππολύτου θάνατον. [2]) Non igitur intellego, quo argumento nisus Gruppe putet τὸ ἀνελθεῖν e fundo maris primam effecisse optationem. In scholio cum Wilamowitzio [3]) et Roberto [4]) verum agnosco, [5]) nisi quod ordo a scholiasta paulum invertitur; primum enim Theseus Labyrinthum intravit, deinde ad inferos descendit, „denn — ut Wilam. verbis utar — dass die Heimkehr aus dem Hades im ersten Hippolyt vorkam, hat man längst aus der

---

1) Gr. Myth. I p. 597.

2) Idem iisdem fere verbis schol. ad. Hipp. vs. 46 et 887.

3) Hermes XV p. 483.

4) l. l.

5) Frustra obloquitur R. Holland, Die Sage von Daidalos und Ikaros, 1902, p. 12 A 1, perhibens Theseum unam ex optationibus ad se ex labyrintho expediendum ideo adhibere non potuisse, „weil diese Lösung zu aüsserlich ist und auch mit dem von Hartung, Eur. Rest. I p. 551 wohl mit Recht hierher gezogenen fr. inc. 1001 λίνου κλωστῆρα περιφέρει λαβών im Widerspruch steht". Quam repugnantiam equidem non agnosco. Nam deus quidem filio promiserat, eum salvum e labyrintho rediturum esse, quod tamen minime ita est accipiendum, ut heros mera hac pollicitatione sine ullo auxilio externo ipse labyrinthi exitum invenerit. Nihil obstat, quominus arbitremur Ariadnae glomus instrumentum fuisse, quo deus usus sit ad fidem servandam. De fragm. cf. p. 88, A. 1.

Phaedra des Seneca geschlossen." Wilam. et Rob. (l. l.) praeterea recte observant tres illas optationes vinculum fuisse, quod tres trilogiae partes, Aegeum, Theseum, Hippolytum I coniunxit. At si cum his viris doctis sumamus optationes in secunda tragoedia demum a Theseo receptas esse, non tres sed tantum duae partes trilogiae optationibus conectuntur. Multo melius tota trilogia cohaeret atque in unum corpus trigeminum coalescit, si optationes in primo dramate promissae sunt atque in secundo et tertio explentur. Sic demum omnes trilogiae partes uno vinculo ligantur.

Ut ad propositum redeam: Ariadna, non Neptunus Theseum servavit. Quo subsidio usa? Huius quoque rei fluctuat fama.

Exstat enim mythus veterrimus, quem Eratosthenes ab Epimenide, Creticorum scriptore, recepit atque Hyginus deinde ex Eratosthenis Catasterismis exscripsit hisce verbis [1]: „Sed ut ait qui Cretica scripsit quo tempore Liber ad Minoa venit cogitans Ariadnen comprimere, hanc coronam ei pro munere dedit; qua delectata non recusavit condicionem. dicitur etiam a Vulcano facta ex auro et Indicis gemmis; per quas Theseus existimatur de tenebris labyrinthi ad lucem venisse, quod aurum et gemmae in obscuro fulgorem luminis efficiebant."

Itaque Ariadna hoc loco dicitur in Creta a Dionyso, cum ei nuberet, coronam fulgentem dono accepisse, quam postea Theseo dedit, ut ad eius radios e labyrintho salvus redire posset.

Eadem versio suberat imagini cuidam in Cypseli arca

1) Hyg. Astr. II 5. Locos Eratosthenis, Schol. German. B. P. p. 61, 17, Hygini collectos vid. apud Robertum, Eratosth. Cataster. Reliq. p. 66 sq. Hygini verba, non Eratosthenis citavi, quod illa pleniora sunt; v. Rob. Catast. Rel. p. 8.

sculptae, quam Pausanias his verbis describit: „*Θησεὺς δὲ* (sc. *ἐστὶν*) *ἔχων λύραν καὶ παρ' αὐτὸν 'Αριάδνη κατέχουσά ἐστι στέφανον.*" Praeter hanc fabulam Creticam, quae antiquam Ariadnae deae cum Dionyso relationem indicat, ab eodem Eratosthene[1]) (Germanico, Hygino, Arato Eratosthenis vestigia legentibus) commemoratur versio diversa et — ut videtur — recentior, referens Ariadnam coronam in insula Dia ab Aphrodita et Horis accepisse, ut eius nuptias cum Dionyso celebrarent; Dionysum autem coronam deinde inter sidera collocasse. Haec fabula fortasse orta est eo tempore, quo fama Thesei Ariadnam e Creta insula abducentis et in insula Naxo relinquentis divulgabatur. Tunc excogitaverunt Dionysum, quippe qui iam antiquitus cum Ariadna iunctus fuisset, eam a Theseo desertam consolatum esse et coronam, ei ab Aphrodita oblatam, tamquam monumentum amoris astris intulisse[2]).

Sed hae res tam vasti argumenti sunt et tantas movent easque difficillimas quaestiones, ut verbo eas attigisse nunc sufficiat, praesertim cum ratio, quae inter Dionysum et Ariadnam intercedit, a nostro proposito aliena sit.

Ne igitur iusto longius digrediar — Epimenides, cuius sententiam Eratosthenes et qui cum exscripserunt nobis tradiderunt, narraverat Theseum ab Ariadna e labyrintho servatum esse corona illa, quam olim in Creta insula a Dionyso acceperat. Eiusdem fabulae vestigium in Cypseli arca invenimus Pausania auctore. Hancne versionem Euripides in tragoediam induxit, an aliam illam, qua Ariadna filo Theseum servasse dicitur? Hoc crediderim. Coronae enim fabula proficiscitur a cogitatione labyrinthum in tenebris

1) Rob. l. l. p. 66.

2) Vid. Louis Séchan apud Daremberg, Dictionn. d. Antiqu. s. v. Theseus p. 230.

iacere, quibus pulsis exire cuivis licet. Quod cum notione labyrinthi minime implicatum est; immo non hoc labyrinthi proprium est, quod densis tenebris involutus est, sed quod eius itinera innumerabilia et tortuosa etiam clara luce exitum reperiri non sinunt. Sic e. g. ab Apollodoro labyrinthus describitur hisce verbis (III 15, 8): *Ἦν δὲ οὗτος* (sc. *ὁ Μινώταυρος*) *ἐν Λαβυρίνθῳ καθειργμένος, ἐν ᾧ τὸν εἰσελθόντα ἀδύνατον ἦν ἐξιέναι, πολυπλόκοις γὰρ καμπαῖς τὴν ἀγνοουμένην ἔξοδον ἀπέκλειε.* Tenebrarum mentio nulla fit.

L. Radermacher[1]) hoc quoque sentiens vetustissimae fabulae reliquias agnoscit in iis, quae legimus apud Suidam s. v. *Αἰγαῖον πέλαγος*, ubi Theseus Minotaurum *κρυπτόμενον ἐν σπηλαίῳ* interfecisse dicitur: coronam enim tantummodo in specu, filum in labyrintho usui esse posse. Postea demum, cum ditius cuiusdam poetae ingenium e specu illo magnum quoddam aedificium subterraneum fecisset, praeter coronam glomus quoque Theseo datum esse putat.

Quidquid id est, Euripides ideo filum coronae anteposuisse putandus est, quod tenebrae labyrinthum, in quo Theseo cum Minotauro pugnandum esset, minus decerent.

Accedit quod in historia fabulari corona tantum non plane

---

1) Wiener Eranos, z. 50en Versamml. Deutsch. Phil. u. Schulm. in Graz 1909, p. 285 sqq.

Ibidem v. d. iure dimisit priorem sententiam, cum in libro suo: „Das Jenseits im Mythos der Hellenen", p. 77 sqq. indicare studeret Labyrinthum repraesentare Orcum, Minotaurum nihil esse nisi daemonem infernum, totam Thesei expeditionem nonnisi descensionem ad inferos. Quam opinionem labefecerunt excavationes hoc saeculo in Creta insula factae, quae multa e regione mythologica in historicam traduxerunt (vid. e. g. de Labyrintho: H. R. Hall, Aegean Archaeology p. 152 sqq.), ita ut Radermacher ipse nunc fateatur (Wien. Eranos l. l.): „Dass bei der Bildung dieses Begriffs (Labyrinthi scil.) historische Erinnerungen wirksam waren, wäre heute verkehrter als je zu leugnen, nachdem die Ausgrabungen auf Kreta die Überbleibsel jener uralten Paläste zutage gefördert haben, deren Weitläufigkeit in Erstaunen setzt."

filo repressa est, quod partim certe auctoritati Euripidis tragoediae assignare velim [1]).

Quando fili versio nata sit, ignoramus. Primam eius mentionem facit Pherecydes (fr. 106), deinde Plutarchus (v. Thes. 19), Hyginus (fab. 42), Apollodorus (epit. I 9) etc. Euripides igitur utramque versionem compertam habuit, sed filum praetulisse videtur.

Restat ut agam de Minois cum Theseo altercatione [2]), unde trimetri illi in Aristophanis scholiis allati [3]) desumpti sunt (Eur. Thes. fr. 384). Quae rixa dramatis initio assignanda et de Periboea, una ex puellis Atheniensibus, exorta esse videtur, quam Minos subito amore incensus violare cupiebat. Nihil enim obstat, quominus Euripidem hanc partem fabulae a Bacchylide narratae [4]) in usum suum convertisse sumamus, praesertim cum sic poetae sponte offerretur occasio Minoi maledicendi, quem in scena Attica semper tamquam atrocem et scelestum depictum esse haec Plutarchi verba notissima testantur (vita Thesei XVI): *Καὶ γὰρ ὁ Μίνως*

---

1) cf. Hartung Eur. Rest. I p. 551, qui magna cum veri specie fr. inc. 1001 *λίνου κλωστῆρα περιφέρει λαβὼν* suum in Theseo fabula locum assignavit; cf. supra p. 84 A. 5.

2) Vix est, quod moneam Hartungum (Eur. Rest. I 550) longe a vero aberrasse fingentem haec iurgia a Theseo in Minotaurum iactata esse atque partem colloquii Thesei cum Minotauro effecisse; monstrum autem his minis compulsum simulque copia militum, qui Theseo praesto essent (sic !), territum in labyrinthum, tamquam in castellum, concessisse. Illud colloquium a Theseo cum Minotauro exhibitum perquam ridiculum mihi videtur! Monstrum ipsum in scenam prodiisse incredibile est. „Sprechen konnte doch das Ungeheuer mit dem Stierkopfe nicht, und dass diese auffallende Gestalt blos vorgeführt sei um im Kampf erlegt zu werden (vel ut territus in labyrinthum concedat), ist nicht glaublich", ut summo iure observavit Jahn (Arch. Beitr. 254).

3) v. p. 74.

4) v. p. 76.

ἀεὶ διετέλει κακῶς ἀκούων καὶ λοιδορούμενος ἐν τοῖς Ἀττικοῖς θεάτροις.

Alium locum trimetris illis in dramate tribuit Körte [1]) et altercationem quandam in fine tragoediae inter Minoem Theseumque a poeta inductam esse statuit, quamquam eius argumenta dubia esse mihi videntur. In speculo scilicet quodam Tusco et in arca ferali Volterrensi idem fere argumentum expressum videmus: Theseum Minoem convenientem, Ariadna aliisque personis nonnullis (quae nihil nunc ad rem) astantibus; praeterea in speculo totum corpus, in arca caput Minotauri necati adest.

Colloquium inter Minoem Theseumque post Minotauri caedem habitum a fabula tradita alienum est; Theseus enim, simulatque Ariadnae ope Minotaurum necavit seque e labyrintho expedivit, clam regem cum ea aufugisse vulgo dicitur.

Versionem singularem, quam speculum et arca exprimunt, ex tragoedia atque quidem ex Euripidis Theseo originem trahere satis audacter Körte suspicatus est: Theseum enim in hoc dramate, ubi primum ad Cretae oram appulisset, Minoem adiisse et ut sibi comitibusque incolumibus abire liceret, si forte Minotauro victo salvus e labyrintho rediret, pactum esse. Quod Minoem facile concessisse, quippe qui monstrum superari posse non crederet. Theseum autem, Ariadnae ope servatum, ut rex promisso staret frustra postulavisse. Ariadnam deinde dolo aliquo effecisse, ut cum Theseo ceterisque adulescentibus aufugeret; deum ex machina Minoem retinuisse ne profugos consequeretur.

Non nego drama ita decurrere potuisse, quamquam ampli-

1) Theseus, zum Herakles umgewandelt, vor Minos auf einem Etruskischen Spiegel, Strena Helbigiana p. 164 sqq., ubi speculi et arcae feralis imagines depictae sunt.

oribus argumentis hoc probatum velim, praesertim cum nulla appareat causa, quae poetam permoverit ad tragoediam hoc modo augendam vel potius iusto longius producendam.

Tota enim illa fides a Minoe primum data, deinde fracta nihil ad veram fabulae naturam confert; omnia prorsus eodem modo decurrunt ac si non promissum foret; promisso non soluto Theseus nihilominus salvus Athenas redit. Dramatis igitur compositio hoc additamento plane inutili minime ornatur, sed tantummodo longior languidiorque fit. Neque multum tribuendum censeo speculi illius imaginis auctoritati, cuius artifex historiae fabularis adeo ignarus fuit, ut Theseum in Heraclem mutare eumque cum Ariadna et Minotauro componere non veritus sit. Quidni Minotaurum quoque temere adicere potuit? Quod fieri potuisse minime negabit Körte, qui ipse dixit: „Die etruskischen Künstler pflegen mit ihren griechischen Vorlagen ziemlich frei zu schalten; sie nehmen aus ihnen, was für den augenblicklichen Zweck passend scheint. Paulo post observat: . . . zur Ausfüllung etwaiger Lücken werden beliebige Füllfiguren, oft ohne Rücksicht darauf, ob sie inhaltlich in die betreffende Darstellung hineinpassen, hinzugefügt" (p. 168). Vereor igitur, ut eo quo Körte fecit modo ex duabus his picturis dramatis nostri argumentum supplere liceat.

Inspiciamus denique ipsa dramatis fragmenta lacera, quae aetatem tulerunt.

Ab Athenaeo (X p. 454 B) verba quaedam e nostra fabula allata sunt, quae locutus esse dicitur *βοτὴρ ἀγράμματος δηλῶν τοὔνομα τοῦ Θησέως ἐπιγεγραμμένον οὕτως·*

ἐγὼ πέφυκα γραμμάτων μὲν οὐκ ἴδρις,
μορφὰς δὲ λέξω καὶ σαφῆ τεκμήρια.

Sequuntur undecim versus Thesei nominis litterarum formas accurate describentes (fr. 382).[1])

Ubi pastor ille illitteratus hoc nomen legit et cui explicat? Mira est sententia Welckeri[2]) conicientis Ariadnam amore advenae ignoti incensam pastorem ad eum misisse, qui quo nomine esset interrogaret. Theseum autem nomen suum in arena inscripsisse atque pastorem nunc huius fragmenti verbis Ariadnae probare se litterarum figuras bene memoria tenere. Quod est nimis ineptum. Cur enim Theseus homini artis legendi rudi per litteras arenae impressas neque viva voce responderit, nullo modo explicatur. Praeterea verba a quibus fragmentum incipit:

ἐγὼ πέφυκα γραμμάτων μὲν οὐκ ἴδρις,
μορφὰς δὲ λέξω καὶ σαφῆ τεκμήρια.

haec verba — aio — sine dubio sunt enarrantis se vocabulum quoddam alicubi oculis percepisse, cuius signa (quamvis legendi artem numquam didicerit) in memoria haereant. Sic Thesei nomen ab homine plane indocto, qui ipsum heroem non convenerat, tamen recte deferri poterat.

Ubi Thesei nomen a pastore observatum inscriptum esset, haud facile dixeris neque multum refert. Fortasse in scuto, fortasse in nave. Hoc suspicatus est Hartungus[3]), quod ideo facilius credam, quia, si pastor nomen in nave inscriptum vidisse dicitur, in promptu est suspicari hos versus partem effecisse longioris ῥήσεως, in qua pastor totam illam navem celeberrimam descripsit, quae poetae nostri temporibus etiam superesse dicebatur atque quotannis ab Atheniensibus in Delum mittebatur quaeque paucos dies ad Socratis vitam

---

1) Agathonem et Theodectem simili modo Thesei nomine lusisse Athenaeus eodem loco enarrat.

2) Gr. Trag. I p. 735.

3) Eur. rest. I p. 548.

adiecit [1]). Navis illius cuivis notissimae laudationem spectatorum Atheniensium aures suaviter permulsisse facile intellegimus. Neque cuiquam in dramate aptius hoc negotium tribuas quam pastori, qui gregem suum pascens navem insignem et nigris velis instructam in litore animadverterat et Thesei nomen in ea inscriptum conspicatus erat [2]). Quae omnia Ariadnae exposuisse putandus est.

De ceteris fragmentis non habeo quod observem, postquam Leo fusius iam egit [3]) de fr. 386 et schol. Arist. Vesp. 313 et iure corroboravit Welckeri coniecturam, chorum septenis pueris puellisque constitisse, quos Theseus Athenis secum duxerat.

Quae de hoc dramate demonstrare conatus sum paucis hisce verbis complecti possum:

Fabulam coronae fulgentis in Neptuni aedibus ab Amphitrita Theseo datae, quinti saeculi initio notissimam et dilectissimam, poeta neglexit; Ariadnae ope Theseum servari Euripides finxit, quae non coronam, quam ipsa olim a Dionyso acceperat, sed glomus heroi a se amato dederat. Minotauro occiso Theseus cum Ariadna aufugit clam Minoe, qui in toto dramate tamquam vir saevus et libidini deditus repraesentabatur. Thesei adventus Ariadnae nuntiatus erat a pastore, qui in litore vagans viderat navem ignotam, nigris velis instructam, nomenque Thesei in ea inscriptum memoria tenuerat. Theseo e labyrintho Ariadna adiuvante servato,

---

1) Plato, Phaed. 58 b.

2) Simili modo Accius in „Medea" fabula pastorem introduxit, Argonautarum navem, quam procul e monte conspexerat, admirantem et describentem. (vid. Cic. de nat. deor. II 35, 89).

3) Sen. Trag. I p. 180 sqq.; vid. etiam v. d. Sande Bakhuyzen, de Par. in Comoed. Arist. p. 54 et Wilam. Hermes XV p. 484.

prima ex optationibus a Neptuno ea nocte, qua Aethram gravidam fecerat, filio futuro concessis expleta erat.

De tertia trilogiae tragoedia, de Hippolyto Velato, nunc agerem, nisi mihi conscius essem viros doctos et eos peritissimos de hac fabula tanta iam protulisse atque totam hanc materiam tam accurate perscrutatos esse, ut mihi omnes has quaestiones retractanti tantum non semper aliorum vestigia essent legenda.

Revera acta agere mihi viderer, si post operam, quam Wilamowitz,[1] Leo,[2] Kalkmann,[3] alii multi in huius tragoediae deperditae imagine redintegranda posuerunt, denuo ad idem opus accingerer. Quod eo facilius ideo omittere possum, quia investigatio docuit Hippolytum Velatum quidem cum Coronifero multis partibus discrepasse, sed hoc discrimen magis ad tractandi rationem et Phaedrae mores, quam ad ipsum argumentum et fabulae decursum pertinere.

Itaque ad Thesei fata in scena Attica cognoscenda non multum lucraremur, si hanc tragoediam in tenebris latentem ad lucem protrahere possemus. Tertiam ergo hanc trilogiae partem silentio praetermittens proposito deesse mihi non videor.

---

1) Anal. Eur. p. 209 sqq.; Eur. Hippol. 1891.
2) Sen. Trag. I p. 173 sqq.
3) De Hippolytis Euripideis p. 24 sqq.

CAPUT V.

Theseus apud Atthidographos.

Partibus, quas Euripides heroi nostro attribuerat quantum poterat restitutis relinquitur ut investigemus, quae ex iisdem Thesei fatis in Atthidographorum reliquiis lateant.

Theseum, democratiae acrem fautorem et synoecismi Attici fundatorem, Atthidum scriptoribus gratiosissimum fuisse fragmentorum eum spectantium multitudo indicat. Cum ceterorum regum in Atthidibus aut nulla aut rarissima mentio fiat, fragmentorum numerus satis magnus etiamnunc Thesei gloriam praedicat. Dolendum autem est eos casus, quibus heros in scena Euripidea iactabatur, in chronicis aut non tangi aut tam diverse enarrari, ut comparationem cum tragoedia vix admittant.

Iam primum ex Aegei fabulae argumento apud Atthidographos nihil omnino hodie reperimus, nisi quod ipse Aegeus commemoratur (Phanod. fr. 3a): *Αἰγεὺς ὁ Πανδίονος υἱὸς βασιλεύων Ἀθηνῶν γαμεῖ Μήταν πρῶτον τὴν Ὅπλητος, δεύτερον Χαλκιόπην Ῥηξήνορος.* Quamquam Natalis Com., qui haec verba affert, ea ex ipso Phanodemo petivisse non videtur; nam prorsus eadem redeunt Apollod. Bibl. III 15, 6. Quod tamen nihil refert, siquidem haec utique ex Atthidibus

originem ducunt, quippe quae partem efficiunt catalogi illius Aegei feminarum, quem legimus apud Athenaeum (XIII p. 557a): *Πολυγύναιος δ'ἐγένετο καὶ Αἰγεύς. πρώτην μὲν γὰρ ἔγημε τὴν Ὅπλητος θυγατέρα, μεθ' ἣν τῶν Χαλκώδοντος μίαν. παραδοὺς δ'ἀμφοτέρας φίλοις συνῆν πολλαῖς χωρὶς γάμων, ἔπειτα τὴν Πιτθέως ἔλαβεν Αἴθραν, μεθ' ἣν Μήδειαν.* Hunc catalogum aeque ac Thesei feminarum enumerationem, quae apud Athenaeum continuo sequitur atque cuius auctor Ister nominatur, ex eodem Istro desumptum esse primi viderunt Wilamowitz [1]) et Wellmann, [2]) qui Istri operis indoli compilatoriae et discrepantiis refertae attribuunt, quod Chalciope modo filia Chalcodontis, modo Rhexenoris vocatur. Ii qui huic Aegei uxori Rhexenorem patrem assignant, eam a Chalciopa Erechthei nepte, quae cum patre Alcone in Euboeam aufugerat atque de qua repetenda bellum inter Erechtheum et Chalcodontidas exarserat, distinguere voluisse videntur, ne Aegeus patris sororem uxorem duxisse traderetur [3]).

Phanodemus (vel Apollodorus) Aegeum Pandionis filium vocat, quod omnes Atthidographos semper fecisse certum est neque in dubium vocatur hisce verbis, quae legimus apud Tzetzem ad Lycophr. 495: *Ὁ Αἰγεὺς Ἀθηναῖος καὶ γηγενὴς ἀπὸ Ἐρεχθέως. Τινὲς δὲ καὶ τοῦτον ἕνα λέγουσι τῶν ἀναδοθέντων ἐκ τῶν ὀδόντων τοῦ δράκοντος τοῦ ἐν Θήβαις, ὡς καὶ Ἀνδροτίων.*

Hic nimirum confunditur Atheniensium rex cum Aegeo plane diverso, Aegidarum gentis auctore, qui una cum Cadmo

---

1) Hermes XV p. 523. Idem in Bibliothecae loco (= fragm. Phanodemi) *Μῆταν* mutavit in *Μελίτην*.
2) De Istro Callimacheo p. 69 sq.
3) cf. Schol. Apoll. Rhod. I 97 et vid. supra p. 46.

et Oeolyco patre suo Spartae colebatur [1]). Nequaquam autem haec confusio Androtioni imputanda est, immo Atthidographos omnes uno animo et magna cum gravitate affirmavisse Aegeum Pandione natum fuisse Theseumque ergo illustri gente Erechthidarum ortum atque eos Aegei originem ab omni macula externa acriter defendisse per se intellegimus nec non haec Strabonis verba testantur [2]): *Οἵ τε τὴν Ἀτθίδα συγγράψαντες πολλὰ διαφωνοῦντες τοῦτό γε ὁμολογοῦσιν, οἵ γε λόγου ἄξιοι ὅτι, τῶν Πανδιονιδῶν τεσσάρων ὄντων, Αἰγέως τε καὶ Λύκου καὶ Πάλλαντος καὶ τετάρτου Νίσου, καὶ τῆς Ἀττικῆς εἰς τέτταρα μέρη διαιρεθείσης, ὁ Νῖσος τὴν Μεγαρίδα λάχοι, καὶ κτίσαι τὴν Νίσαιαν. Φιλόχορος μὲν οὖν ἀπὸ Ἰσθμοῦ μέχρι τοῦ Πυθίου διήκειν αὐτοῦ φησι τὴν ἀρχὴν, Ἄνδρων δὲ μέχρι Ἐλευσῖνος καὶ τοῦ Θριασίου πεδίου.*

Atthidum igitur auctores Pandionis et Aegei originem Megaream vel Troezenicam in oblivionem adducentes eosque in Atticae stemma regium inserentes de suppositione Aegei nihil proferre potuerunt; unde sequitur Plutarchum, qui Aegei suppositionem causam belli a Pallantis filiis cum Aegeo suscepti fuisse narrat, [3]) haec nullo modo ex Atthide quadam desumpsisse. Neque ex Philochoro, unde ipsam belli descriptionem hausisse videtur, neque ex Istro, quod Wellmannus [4]) demonstrare conatus est. Supra enim apud Strabonem legimus omnes Atthidographos, qui alicuius momenti sunt, (quibus Philochorum et Istrum adnumerandos esse nemo negat) suppositionem Aegei non agnovisse.

---

1) cf. Pausan. III 15, 8: *Ἐν Σπάρτῃ .... ἡρῷα .... Κάδμου τοῦ Ἀγήνορος, τῶν τε ἀπογόνων, Οἰολύκου τοῦ Θήρα καὶ Αἰγέως τοῦ Οἰολύκου.* Vid. praetera Herod. IV 149: *Οἰολύκου δὲ γίνεται Αἰγεύς, ἐπὶ οὗ Αἰγεῖδαι καλέονται, φυλὴ μεγάλη ἐν Σπάρτῃ.*

2) Strabo IX p. 601 = Philoch. fr. 35; cf. quoque praef. p. 8.

3) vita Thes. c. XIII.

4) de Istro Callim. p. 37 sqq.

Itaque Pallantidarum belli causa, in Atthidibus memorata, diversa fuit ab ea, quam affert Plutarchus: *Οἱ δὲ Παλλαντίδαι πρότερον μὲν ἤλπιζον αὐτοὶ τὴν βασιλείαν καθέξειν Αἰγέως ἀτέκνου τελευτήσαντος· ἐπεὶ δὲ Θησεὺς ἀπεδείχθη διάδοχος, χαλεπῶς φέροντες, εἰ βασιλεύει μὲν Αἰγεύς, θετὸς γενόμενος Πανδίονι καὶ μηδὲν Ἐρεχθείδαις προσήκων, βασιλεύσει δ' ὁ Θησεύς, πάλιν ἔπηλυς ὢν καὶ ξένος, εἰς πόλεμον καθίσταντο.*

At quae Plutarchus continuo addit de ipso proelio tam speciose cum Philochori eiusdem proelii descriptione, quae nobis tradita est in schol. ad Eur. Hipp. 35 (i. e. Philoch. fr. 36), concinunt, ut alterum ab altero exscriptum esse certissimum sit. Quam convenientiam luculenter ostendit Wellmann l. l., qui tamen mirum in modum de tota hac re ratiocinatur. Concedit quidem causam Pallantidarum impetus, quam apud Plutarchum legimus, ex Philochoro fluere non potuisse, concedit etiam belli narrationem Plutarcheam arte cum Philochorea cohaerere, sed causam et narrationem ex diversis fontibus provenire negans, ambas ex uno scriptore Philochoro aetate inferiore, id est ex Istro, desumptas esse suspicatur. Nimio studio Istri opus amplificandi abripi se passus est; nullo enim iure Istrum ab iis Atthidographis, quos Strabo *λόγου ἀξίους* nominat, segregat; neque apparet, unde Ister, Atthidum ille compilator, haec de suppositione Aegei exprompserit. In Aegei et Thesei origine vere Attica asseveranda omnes Atthidographos, qui alicuius momenti sunt, conspiravisse et Istrum quoque ceteris se adiunxisse non solum Strabo diserte affirmat, sed etiam ea, quae de Atthidum indole et ratione cognovimus, nos docent [1]).

Ipsius igitur belli narrationem Plutarchus a Philochoro

1) vid. praef. p. 7 sq.

mutuatus est, belli causam aliunde (non ex Atthide aliqua) desumpsit. Hinc discimus, quanta cautio in Plutarchi fontibus indagandis adhibenda sit, quem in eodem capite duos diversissimos fontes secutum esse apparet et quam longe a vero aberraverit Gilbertus [1]), qui totam Thesei vitam, duobus primis capitibus exceptis, ex Istri Atthide fluxisse omnesque alios qui citantur auctores nonnisi per Istrum Plutarcho notos fuisse sibi persuaserat.

Quam ob rem secundum Atthidographos Pallantidae bellum susceperint, nescimus neque quicquam speciosi iis fingendum fuisse videtur; nam etiamsi Aegeus Erechthidarum proles legitimus sit, aptam belli causam dat invidia Pallantidarum, qui regnum patrui liberis carentis affectantes illam hereditatis spem Thesei adventu subito sibi praereptam viderent. Diodorus Siculus quoque, qui Aegeum iustum Pandionis filium vocat [2]), Pallantidarum belli mentionem facit [3]) nullam singularem belli causam addens. Eodem modo Philochorus causam, quam profert Plutarchus, omittere satis habere potuit, novam non substituens.

Quod ad ipsam Philochori narrationem attinet, haec accurata proelii descriptio sine dubio veteris historiae Atticae vestigia servat et impetus ipsius Pallantis via Sphettia Athenas contendentis atque filiorum eius in Gargetto in insidiis positorum repraesentant bella acerrima a Pisistrato cum Megarensibus gesta, Nisi nomen expugnatam Nisaeam, Pallantis nomen victoriam apud Pallenam reportatam revocant [4]).

Ut ad trilogiam Euripideam redeamus: praeter ipsius

1) Philol. vol. 33 p. 46 sqq.
2) IV 55, 4.
3) IV 60, 5.
4) v. Gruppe, Gr. Myth. I p. 596.

Aegei nomen eiusque originis Atticae macularum externarum purae commemorationem nihil apud Atthidographos hodie exstat, quod in Euripidis tragoedia tangebatur.

Utrum Philochorus Thesei certamen cum tauro Marathonio in Medeae dolos inseruerit, an Euripidem secutus [1]) hanc pugnam post Medeae fugam locaverit, dubium est, quamquam Plutarchus hanc expeditionem Medeae insidiis non intexuit, qui haec tradit (cap. XIV init.): *Ὁ δὲ Θησεὺς ἐνεργὸς εἶναι βουλόμενος, ἅμα δὲ καὶ δημαγωγῶν, ἐξῆλθεν ἐπὶ τὸν Μαραθώνιον ταῦρον οὐκ ὀλίγα πράγματα τοῖς οἰκοῦσι τὴν Τετράπολιν παρέχοντα· καὶ χειρωσάμενος ἐπεδείξατο ζῶντα, διὰ τοῦ ἄστεος ἐλάσας εἶτα τῷ Ἀπόλλωνι τῷ Δελφινίῳ κατέθυσεν.*

Siquidem Plutarchus reliqua huius capitis et finem praecedentis ex Philochoro habet, haud improbabile est eum hoc capitis XIV initium ex eodem hausisse, quamquam narratio de Pallantidarum bello modo nos docuit, tali in re magnam cautionem requiri.

Haec de Aegeo. — Transeuntes ad secundam trilogiae partem, ad Theseum, Minotauri historiam in Atthidibus quoque expressam reperimus. Sed quantum mutata ab illa!

E regione sublimi et fabulosa poetarum descendimus in historiae terram planam et solidam.

Labyrinthus non iam est inextricabilis error, unde negant redire quemquam, sed carcer *οὐδὲν ἔχων κακὸν, ἀλλ' ἢ τὸ μὴ διαφυγεῖν τοὺς φυλαττομένους* (Philoch. fr. 38).

Minotaurus, monstrum illud fabulosum, *σύμμικτον εἶδος κἀποφώλιον βρέφος*, quod dicebatur *ταύρου μεμεῖχθαι καὶ βροτοῦ διπλῇ φύσει* abiit in belli ducem, nomine Taurum, feris et duris hominem moribus, *τοῖς παισὶ τῶν Ἀθηναίων ὑπερηφάνως καὶ χαλεπῶς προσφερόμενον* (Phil. fr. 38).

---

1) v. p. 63 sqq.

Minos e tyranno feroci et crudeli rex nobilis et magnanimus factus est, qui in ludis in Androgei memoriam habitis pueros Athenienses victori praemio dandos Theseo adversarium devincenti restituit et Atheniensium urbem tributo liberat (Phil. fr. 38 et 39).

Ariadnae non iam opus est filo aliisve dolis, ipsa adest in certamine (*ἔθους ὄντος ἐν Κρήτῃ θεᾶσθαι καὶ τὰς γυναῖκας*), conspectu Thesei obstupescit, virtutem generosi iuvenis in certando omnes superantis admiratur; deinde Minoem, senem iustum, Theseo non solum pueros restituisse, sed etiam filiam suam uxorem dedisse sponte fingere nobis possumus (Phil. fr. 40).

Denique Demo (fr. 3) narraverat Taurum, Minois ducem, non in certamine gymnico, sed proelio navali in portu Cretico commisso a Theseo victum et interfectum esse.

Nullum exstat luculentius exemplum, quo ieiunitatis illi homines aevi sui argutiis imbuti processerint, nobile monumentum phantasia poetica exstructum, „tenues grandia", demolientes, fastigia alta et portentosa manu sacrilega detrahentes soloque aequantes.

Simili modo Philochorus explanavit et depravavit narrationem de Proserpina a Theseo ex Orco rapta (fr. 46): *Κόρης ἁρπαγὴ Περσεφόνης ὑπὸ Ἀιδωνέως τοῦ Μολοσσῶν βασιλέως, ὃς εἶχε κύνα παμμεγέθη, τὸν λεγόμενον Κέρβερον, ᾧ τὸν Πειρίθουν ὕστερον διεχρήσατο παραγενόμενον ἐφ' ἁρπαγῇ τῆς γυναικὸς ἅμα Θησεῖ. Θησέα δὲ παρατυχὼν Ἡρακλῆς ἐρρύσατο μέλλοντα συνδιαφθείρεσθαι τῷ Πειρίθῳ. Διὰ δὲ τὸ τοῦ κινδύνου προὖπτον ἐξ Ἅιδου νομίζεται Θησεὺς ἀνεληλυθέναι, ὡς Φιλόχορος ἱστορεῖ ἐν Ἀτθίδος δευτέρῳ.*

Perinde ac Minotaurus Cerberus quoque exuit speciem fabulosam, non iam est Medusaeum monstrum, cuius „furiale centum muniant angues caput", sed *κύων παμμεγέθης*; dominus

eius non iam in Orco sed in terra regnat, Proserpina regina terrestris est, Theseus in opaca Tartara vivus numquam descendit, sed propter insperatam ex imminenti periculo salutem ex Orco rediisse dicitur.

Praepropere hinc concluseris Philochorum et Demonem et Androtionem haec omnia ipsos excogitavisse et de suo ipsorum ingenio integra prompsisse, immo eos saepe eiusmodi argutias, quas superior aetas iam concoxerat, diligenter indagantes collegisse, composuisse, amplificasse credibile est. Euhemerismum illum numquam magis quam Philochori temporibus valuisse supra quidem vidimus,[1] sed et antea eum viguisse semperque hominum animos inclinasse ad res mirificas in regionibus fabulosis actas in formas humanas vulgaresque redigendas atque in terram nostram transferendas non est quod miremur. Cuius pragmaticae rationis vestigia in aetatem satis remotam, quin etiam usque ad Homerum persequi possumus.

Legimus enim σ 84 sqq. haec verba, quibus Antinous Irum pavidum increpat:

Πέμψω σ᾽ ἤπειρόνδε βαλὼν ἐν νηὶ μελαίνῃ
εἰς Ἔχετον βασιλῆα, βροτῶν δηλήμονα πάντων,
ὅς κ᾽ ἀπὸ ῥῖνα τάμῃσι καὶ οὔατα νηλέι χαλκῷ
μήδεά τ᾽ ἐκϜερύσας δώῃ κυσὶν ὠμὰ δάσασθαι.

Quis sit ille Epiri rex, Echetus ille, qui quodcumque semel accepit non iam remittit, qui canibus homines navi atra ad se adductos obicit, statim apparet collato hoc Plutarchi loco (vit. Thes. c. 31): *αὐτὸς* (Theseus scil.) *δὲ Πειρίθῳ τὴν ὑπουργίαν ἀποδιδούς, εἰς Ἤπειρον συναπεδήμησεν ἐπὶ τὴν Ἀιδωνέως θυγατέρα, τοῦ Μολοσσῶν βασιλέως· ὃς τῇ γυναικὶ Περσεφόνην ὄνομα θέμενος, Κόρην*

1) Praef. p. 10 sq.

δὲ τῇ θυγατρί, τῷ δὲ κυνὶ Κέρβερον, τοὺς περὶ τὸν Πειρίθουν οὐ μνηστῆρας ἥκειν, ἀλλ' ἁρπασομένους πυνθανόμενος συνέλαβε, καὶ τὸν μὲν Πειρίθουν εὐθὺς ἠφάνισε διὰ τοῦ κυνός, τὸν δὲ Θησέα καθείρξας ἐφύλαττεν.

Regem illum Epiri sive Molossorum et hoc loco et Homerico (perinde ac in Philochori fragmento laudato) nullum alium esse nisi inferorum regem, humana forma indutum, perspicuum est.

Nec non conferenda sunt, quae Eugammon, Musaei *κατάβασιν εἰς Ἅιδου* adhibens, in Telegonia narrat de Ulixe iter in Thesprotiam faciente ibique reginam Callidicen uxorem ducente [1]).

Denique agmen claudat locus Pausaniae (I 17, 4), ubi legimus: *ἐς δὲ τὴν τελευτὴν τὴν Θησέως πολλὰ ἤδη καὶ οὐχ ὁμολογοῦντα εἴρηται· δεδέσθαι τε γὰρ αὐτὸν λέγουσι ἐς τόδε ἕως ὑφ' Ἡρακλέους ἀναχθείη. πιθανώτατα δὲ ὧν ἤκουσα· Θησεὺς ἐς Θεσπρωτοὺς ἐμβαλών, τοῦ βασιλέως τῶν Θεσπρωτῶν γυναῖκα ἁρπάσων, τὸ πολὺ τῆς στρατιᾶς οὕτως ἀπόλλυσι, καὶ αὐτός τε καὶ Πειρίθους ἥλωσαν, καὶ σφᾶς ὁ Θεσπρωτὸς δήσας εἶχεν ἐν Κιχύρῳ.*

Et paulo post (§ 5): *πρὸς δὲ τῇ Κιχύρῳ λίμνη τέ ἐστιν Ἀχερουσία καλουμένη καὶ ποταμὸς Ἀχέρων, ῥεῖ δὲ καὶ Κωκυτὸς ὕδωρ ἀτερπέστατον.*

Itaque omnibus his locis totum Orcum cum ipso rege inferno eiusque uxore et filia, cum cane, cum Acheronte et Cocyto, cum toto igitur — ut ita dicam — instrumento et supellectile in regiones terrestres translatum videmus.

Graviter est dolendum, quod praeterea nihil ex iis Thesei

---

1) Plura de his Homeri et Eugammonis locis vid. apud Vürthemium, qui (De Aiacis origine, cultu, patria p. 206 sqq.) totam hanc rem illustravit.

fatis, quae trilogia Euripidea amplectebatur, hodie in Atthidibus tractatum invenimus, quamquam huic regi, Atheniensibus δημοτικοῖς prae ceteris omnibus caro, in chronicis urbanis locum principem concessum fuisse fragmenta satis multa etiamnunc testantur.

Sic e. g. in Atthidibus non Phorbas, Thesei παιδοτρίβης, sed ipse Theseus artem luctandi invenisse dicebatur (Ister fr. 23).

Ab eodem Istro (fr. 13) duos oschophoros instituisse traditur ἕνεκα τῆς κοινῆς σωτηρίας.

Euripides in Supplicum fabula narraverat, quomodo Theseus Thebanos coegisset corpora Argivorum ad Thebas interfectorum sibi tradere sepelienda; Philochorus addit hasce indutias περὶ νεκρῶν ἀναιρέσεως primas fuisse (fr. 51).

Non modo omnia honorifica in Theseum suum accumulaverunt Atthidographi, sed etiam ab omni infamia diligenter eum vindicare studuerunt, cuius rei exemplum afferam.

Plutarchus [1]) narrat, Hellanicum tradidisse Theseum quinquaginta annos natum violasse Helenam immaturam (ἔπραξε τὰ περὶ τὴν Ἑλένην, οὐ καθ' ὥραν). Postquam deinde observavit nonnullos, ut Theseum hoc gravissimo crimine solverent, negare ipsum Helenam rapuisse, sed raptam ab Ida et Lynceo apud se depositam servasse, sic pergit: τὰ δὲ εἰκότα καὶ πλείστους ἔχοντα μάρτυρας τοιαῦτά ἐστιν. Hisce verbis Plutarchus aperte indicat historiam de Helenae raptu, quae sequitur, non a se ipso ex diversorum auctorum testimoniis conflatam esse, sed totam ex uno fonte a se haustam. Narratur autem Theseum et Pirithoum Spartam venisse ibique Helenam rapuisse atque inter se pactos esse, ut utri sors obtigisset, eam haberet uxorem et alteri

1) Vita Thes. c. XXXI.

ad alias nuptias quaerendas praesto esset. Sortem Theseo obvenisse, qui virginem *οὔπω γάμων ὥραν ἔχουσαν* Aphidnas deportaverit et matri Aphidnoque amico custodiendam tradiderit. Ipsum ad Pirithoo officium suum praestandum cum eo in Epirum profectum esse ad filiam Aidonei, Molossorum regis, et Proserpinae reginae petendam e. q. s.

Primo obtutu in huius narrationis parte ultima agnoscimus pragmaticam illam historiam, quam a Philochoro concoctam esse modo vidimus [1]). Siquidem Philochorus huius Plutarchi narrationis partis auctor est et tota narratio, artissime cohaerens, dissolvi non potest, initium quoque ex eodem desumptum est, unde cognoscimus, quomodo Atthidographus Theseum a crimine stupri virgini nondum nubili illati tutatus sit.

Unum restat indicium non unius Thesei, sed omnium Atheniensium a fama invidiosa Atthidographorum opera defensorum.

Omnes enim fere auctores, qui bellum a Minoe cum Atheniensibus gestum commemorant, huius belli culpam in Athenienses conferunt, narrantes Androgeum, Minois filium, Atheniensium dolo et fraude periisse, sive per insidias eorum, quos in ludis vicerat [2]), sive per taurum Marathonium, contra quem ab Aegeo missus erat [3]), sive per Aegeum timentem, ne cum Pallantidis foedus iniret [4]).

At notatu dignum est, quomodo Clitodemus [5]) omnia detorserit ad culpam ab Atheniensibus in Cretenses transferendam. Finxit enim Minoem contra *δόγμα κοινὸν Ἑλλήνων* Daedalum, qui Athenas fugisset, navibus longis persecutum

---

1) v. p. 100.
2) Eustath. ad Odyss. XI 320.
3) Apollod. Bibl. III 15, 7.
4) Diod. IV 60, 5.
5) fr. 5 = Plut. v. Thes. 19

esse, sed tempestate in Siciliam eiectum ibi mortem obiisse. Tunc Deucalionem, Minois filium, Atheniensibus infestum, Daedalum sibi dedi iussisse, alioqui se pueros, quos Minos obsides accepisset, interfecturum esse denuntiantem. Unde bellum ortum esse, in quo Theseus, proelio in porta Labyrinthi conserto, Deucalionem cum satellitibus confecisset, quo facto cum Ariadna, quae fratri successisset, amicitiam iunxisset, iure iurando se obstringente, numquam se bellum cum Atheniensibus commissuram esse.

Thesei mythi investigatio, quam apud poetas tragicos et Atheniensium chronicorum scriptores instituimus, denuo iudicium, supra iam saepius pronuntiatum, corroboravit: Athenienses quarti et tertii saeculi opibus, quas poetae scenici eis largiti erant, saepe grato animo usos esse ad historiam suam fabularem augendam atque ornandam, sed hanc poetarum auctoritatem semper patriae honori et rationis praeceptis cessisse.

Sic Atthidographi ab altera parte caeco Thesei amore abrepti omnes honores in eum cumulaverunt atque tamquam heroem „nationalem" eum celebraverunt eiusque originem et mores ab omni macula purgaverunt, ab altera parte ratione frigida ducti fulgorem, quo heros in scena Attica splendebat, obscuraverunt et mythorum undique sedulo conquisitorum atque saepe ipsa natura discordantium concentum frustra quaesiverunt.

INDEX
ATTHIDOGRAPHORUM EURIPIDISQUE LOCORUM.

CORRIGENDUM:

Pag. 21, adn. 2: fr. sp. 430. Corrige fr. inc. 930.

THESES.

THESES.

I.

Nomen Erichthonii, quod Curtius (Grundz. der Gr. Et.[5] p. 144) male vertit „Gutland" et quo Preller—Robert I p. 200 genium terrae feracis designari iniuria putat, idem valet quod *αὐτόχθων*.

II.

Erechtheus hypocoristicum Erichthonii est.

III.

Errant Loeschcke (Aus der Unterwelt p. 9) et Toepffer (Att. Gen. p. 173) statuentes verbis: *σέ τοι κικλήσκω τὸν αἰενυπνόν* (Soph. O. C. 1577) Hesychum invocari; ad Thanatum chorus se convertit.

IV.

Sine iure Ed. Meyer (Forsch. z. alt. Gesch. I p. 149) repugnat his Toepfferi verbis: „Die Tragödie Ion ist ein politisches Zweckdrama" et „Der athenische Dichter hat den ursprünglichen Mythos tendenziös variirt." (Att. Gen. p. 268).

V.

Schol. Aristonici ad Il. A 93 sq. (ed. Friedl. p. 43): ὅτι ἐλλείπει τὸ περί, καὶ περισσὸν τὸ ἐ π ι μ έ μ φ ε τ α ι.

Corrige: καὶ περισσσὸν τὸ ἕ ν ε κ'.

VI.

Eur. Phoenic. fr. 805 (Nauck[2]):

ὦ γῆρας, οἷον τοῖς ἔχουσιν εἶ κακόν.

Lege: τοῖς σ' ἔχουσιν.

VII.

Xen. Memor. I 4, 17: ὁ σ ὸ ς νοῦς ἐνών.

Leg. cum Reiskio: ὁ σ ο ὶ νοῦς ἐνών.

VIII.

Ibid. II 1, 12: οἶμαι σε ὁρᾶν ὡς ἐπίστανται κ. τ. λ.

Requiritur: οἶμ' ἂν σε ὁρᾶν.

IX.

Ibid. II 6, 4: ὅστις στασιώδης τέ ἐστι καὶ θέλων πολλοὺς τοῖς φίλοις ἐχθροὺς παρέχειν;

θέλων corruptum esse apparet. Legatur: ὅστις στασιώδης ἐστὶ καὶ ἑκὼν π. τ. φ. ἐ. παρέχει;

X.

Stob. Anthol. Wachsm. et Hense III 1, 103 = Mein. I 85: Μήκοτε ἐπὶ βλάβῃ τοῦ ἀληθέος . . . . τὸν προσδιαλεγόμενον ἐ ρ ί σ α ι ἐπαρθείην.

Requiro: ἐ λ έ γ ξ α ι.

XI.

Ibid.: Φίλοισι δυνάμενος καὶ τοῖσι δεομένοισι τὰ δέοντα ἐπαρκέοιμι.

Ante δεομένοισι insere: μή.

XII.

De Ἐτεόκρητες waren een vreemd volk te midden der Cretensers, die ten onrechte door den dichter van de Odyssee voor de oorspronkelijke bewoners van Creta werden aangezien (vgl. Burrows, Discoveries of Crete p. 153).

XIII.

Onnauwkeurig is in Mommsen's beschrijving van den oorlog van Spartacus (Röm. Gesch. III p. 78) de mededeeling, dat Crixus, Oenomaus en Spartacus aan het hoofd stonden van de slaven, die uit de gladiatorenschool te Capua ontvluchtten; ten onrechte noemt Mommsen den Romeinschen bevelhebber Clodius Glaber.

XIV.

De onlangs in de terp te Tolsum gevonden koopacte bewijst niet, dat er, toen deze koopovereenkomst tot stand kwam, een Romeinsche militaire bezetting in het Westelijk gedeelte van Friesland lag, zooals Prof. C. W. Vollgraff concludeert (De Vrije Fries, dl. 25, 1917, p. 100).

XV.

De in Beetgum gevonden, aan Hludana gewijde geloftesteen dateert uit den tijd na 98 n. C.

XVI.

De wettelijke bepaling, die bij het eindexamen der gymnasia het vertalen van ongelezen stukken uit de klassieke schrijvers tot eisch stelt, heeft tot noodlottig gevolg, dat bij het onderwijs de vertaalvaardigheid vaak meer wordt nagestreefd, dan begrip en toeëigening van het gelezene.